Digitized by Google

Digitized by Google

NAZIONALE
BIBLIOTECA
CENTRALE V. E. II
6
8
I
15
ROMA

Digitized by Google

L. CAECILII FIRMIANI LACTANTII

SYMPOSIVM,

SIVE

CENTVM EPIGRAMMATA

TRISTICHA AENIGMATICA,

QVAE VERO SVO AVCTORI

POST LONGISSIMI TEMPORIS DECVRSVM

REDDIDIT,

A LIBRARIORVM MENDIS

OPE CODD. MSS. REPVRGAVIT,

SVISQVE ET

IOS. CASTALIONIS, CASP. BARTHII,

FRID. BESSELII,

ALIORVMQVE NOTIS ILLVSTRAVIT

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNVS,

CVIVS ET ADIECTA EST

DISSERTATIVNCVLA CONTRA

V. C. NICOL. NVRRIVM,

LIBRVM

DE MORTIBVS PERSECVTORVM

LACTANTIO ABIVDICANTEM,

ITEMQVE

SYMBOLA CRITICA

AD LACTANTIVM.

HANOVERAE,

APVD NICOLAVM FOERSTERVM,

ANNO MDCCXXII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTH. CARMELIT.

6. P. I. 15.

PRAEFATIO.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMAN.

OFfero tibi, LECTOR, libellum in primis lepidum atque elegantem, quem LACTANTIO, viro iis, quae ſuperſunt, ingenii monumentis elogium *Chriſtiani Ciceronis*, merito, haud dubitanter vindico, praeeunte quidem nemine, ſed ſecutis iam viris quibusdam ingenio & doctrina praeſtantisſimis, ac ſecuturis (ita equidem auguror,) cordatis omnibus, qui, quae continuo afferam, argumenta aeſtimare incorrupto iudicio voluerint. Initium facio a teſtimonio *Hieronymi*, qui librorum a veteris Eccleſiae doctis viris conditorum titulos ſingulari libro famae poſteritatis inſeruit, hoc amplius de illis pariter ac nobis promeritus, quod neminem praeterea habemus ex illo aeuo, qui vberius deſcribens hiſtoriam eccleſiae literariam de ſua poſteraque aetate bene meritus, laudemque Hieronymi aemulatus ſit. Is igitur librorum *Lactantii* recen-

ſionem his orditur (a) verbis: *Habemus eius SYMPOSIVM, quod adoleſcentulus ſcripſit, & ὁδοιπορικὸν* (b) *de Africa vsque Nicomediam, hexametris ſcriptum verſibus, &*, caetera. Quae verba quandoquidem primarium ſunt ſententiae eius, quam propugnatum eo, fundamentum, merito operam do, ea vt exhibeam quam emendatisſima. Video enim, librarios veteres in eis deſcribendis dupliciter peccaſſe, & parum ſcribendo & nimium: quorum alterum, ſi theologica diſtinctione hic vti licet, vocaueris *peccatum commiſſionis*, alterum *omiſſionis.* Omiſerunt ſcilicet (quae labes adhuc haeret in editionibus etiam recentisſimis,) *τὸ &* ante *ὁδοιπορικὸν*, cum tamen ſubſequentium plurium titulorum per ſingulas copulas (&) connexio eam voculam

(a) *Catal. ſcript. eccl. cap. 80.*

(b) *Graecam hanc vocem* Itinerarium *reddidit Honorius Auguſtodunenſis lib. I. de ſcript. eccl. cap. 81. Scripſit & Aquilius Seuerus ὁδοιπορικὸν, teſte Hieronymo noſtro cap. CXI. Venantium quoque Fortunatum ſcripſiſſe* Hodoeporicum, *teſtis eſt Trithemius de ſcript. eccl. cap. 219. vbi tamen corrupte legitur parîterque ridicule:* Ad Oporicum. *Statim id legens mendum ſenſi &* Hodoeporicum *reſcripſi, nec ſine voluptate nuper deprehendi, idem mendum pari felicitate ſublatum eſſe a Celeb. Acad. Iuliae Prof. Polyc. Leyſero in Hiſt. poët. medii aeui p. 167.*

lam hinc abeſſe non poſſe ſatis doceat: ac praeterea Graecus interpres, qui adſcito *Sophronii* nomine vetuſtatem mentitur, eam fideliter exhibeat. Sed haec quidem vnius voculae omiſſio, quae nec magni momenti, facile correcta nunc eſt. Venio ad aſſutum purpurae Hieronymianae pannum. Sunt enim codices, qui ita referunt Hieronymi verba: *Sympoſium, quod adoleſcentulus ſcripſit Africae.* Sunt alii, qui ſic habent: *adoleſcentulus ſcripſit* (c) *in ſcholis Africae.* Alterius generis codex in manu fuerit neceſſe eſt Pſeudo-Sophronio, quippe qui ita reddidit ſuperiora verba: *Συμπόσιον, ὅπερ νέος ἐν τῇ Αφρικῇ συνέταξε.* Nec vero ſolus iſte interpres corruptum eſt ſecutus codicem, verum etiam duae illae, quas modo adduxi, lectiones inuenere patronos recentiori aeuo. Prior enim *Mariano Victorio*, altera *Ern. Sal. Cypriano*, viro inſignibus in rem literariam meritis adhuc florenti, vtrique

(c) *Peruetuſta eſt haec ſcriptura. Nam & Honorius Auguſtodunenſis lib. I. de ſcript. eccl. cap. 81. de Lactantio (de quo notitiam manifeſto hauſit ex Hieronymo,) ita ſcribit:* Scripſit in Scholis Africae Itinerarium hexametris verſibus. *Niſi forte corruptus eſt Honorius, (quod quidem valde vereor,) isque ſic ſcripſerat:* Scripſit Sympoſium, & Africae Itinerarium verſibus hexametris.

in ſuis ad *Hieronymi Catalogum* annotationibus, ita placuit, vt ex ſuo vterque codice ſupplendum cenſeret locum Hieronymi. Quod quidem permirum mihi videtur, cum vtraque ſcriptura vitium ipſa ſuum prodat ſoricis inſtar. Non eſt enim adeo ſordidus ſcriptor Hieronymus, vt *Africae* dicat pro *in Africa*. Nec idem tam inepto vtitur dicendi genere, vt ſcribere potuerit *in ſcholis Africae*. Quid enim, quaeſo, hoc ſibi vult? *In ſchola* compoſuit vtique Lactantius libellum illum, non *in ſcholis*. Sed nec ea quidem ſcriptura tolerabilis foret, ſi quis ſic vellet legi: *in ſchola Africae*. Ego certe nec hanc capio loquendi formulam. Ac ſenſit ſcripturae huius, quam & ſuo videtur reperiſſe in codice, ἀτοπίαν *Flacius* vel alius neſcio quis, qui (d) Hieronymi verba hunc in modum, ſed prorſus infeliciter, emendanda cenſuit: *Sympoſium ſcriptum ad adoleſcentes Africae*. Supereſt, vt originem huius mendae in apricum producam. Qua in re cum praeter coniecturam, quid ſequar, non habeam, enitendum mihi eſt, vt coniecturam proferam non longe petitam, ſed ſua veluti luce radiantem. Suſpicor igitur, diligentiorem quempiam Hiero-

(d) *In Centuria IV. Magdeb. Hiſt. Eccl. cap. X. p. 1076.*

Hieronymiani Catalogi lectorem, recordatum ex capite proximo, Arnobium, Lactantii praeceptorem, *Siccae* in Africa docuiſſe, ad haec verba: *Sympoſium, quod adoleſcentulus ſcripſit*, in margine vnum verbum *Siccae* adieciſſe. Suſpicor porro, gloſſema hoc, quod vocant, non ita multo poſt, vti fieri conſueuit, in ipſum irrepſiſſe textum. Vbi cum librarius, quid *Siccae* eſſet, neſciret, maluit reponere *Africae*. *Librarii* enim, ipſo noſtro *Hieronymo* (e) obſeruante, *ſcribunt, non quod inueniunt, ſed quod intelligunt*, & , *dum alienos errores emendare nituntur, oſtendunt ſuos*. Succeſſit, opinor, alius paulo doctior ſiue librarius ſiue lector, qui videns, Latine dici non poſſe: *ſcripſit Africae*, felici, ſi Mineruae Gratiisque placet, ingenio duo adiungens verba ſic reſcripſit: *in ſcholis Africae*.

II.

Sed miſſa therapeutica iſta diſputatione, ſumamus ex teſtimonio Hieronymi id, quod dubio caret, *a Lactantio adoleſcentulo ſcriptum fuiſſe Sympoſium*. Habemus igitur teſtem locupletem, quod Lactantius in adoleſcentia *Sympoſium* ſcripſerit. Atqui eius, quod nunc edo, *Sympoſii* auctorem fu-

(e) *Epiſt. 28. ad Lucinium.*

iſſe adoleſcentulum ſcholaſticum, ſecundus Prologi ſiue praefationis verſus luculenter teſtatur. Addo, quod omnes hiſtoriae literariae conſulti facile mihi aſſentientur, neminem inter veteris Eccleſiae, ſcriptores memorari praeter Lactantium, qui librum *Sympoſii* titulo inſcriptum vulgarit. Quae ſola conſideratio ſufficit, vt iure ſtatuamus, libri ſub *Sympoſii* nomine exſtantis auctorem eſſe Lactantium, niſi vel ſtylus, vel aetas, vel alia quaepiam grauiſſima ratio eum viro huic abiudicet. Quodſi vero deprehendimus, non ſolum titulum libri prodere Lactantium, ſed ipſum illum librum Lactantio dignum dicendi genus habere, praetereaque vetuſtate ſua pertingere ad aeuum Lactantii, nec quicquam eſſe impedimento, quo minus eum ad hunc auctorem referamus; tunc ſane nemo tam difficliis eſſe debet, quin concedat, Lactantium vtique illius libri habendum eſſe auctorem patremque *γνήσιον*.

III.

Video igitur, ante omnia mihi probandum eſſe, verum eius libelli, quem edo, titulum eſſe *Sympoſium*. Id vero perfacilis erit negotii, ac video, iam doctiſſimum quemque mihi publice conceſſiſſe, quod e libri huius titulo in barbari aeui tenebris

effictus

effictus fuerit poëta plane *ψευδώνυμος Sympoſius*. Certe vel *Praefatio* clamat, auctorem huius libri ſcriptum voluiſſe *Sympoſium*, agitatasque in conuiuio Saturnalitio quaeſtiunculas hoc libello complecti aggreſſum eſſe. Accidit igitur libello huic idem, quod *Minucii Felicis Octauio*, quem *Arnobii* libris ſub titulo *libri octavi* annexum vero ſuo auctori nemine refragato aſſeruit *Balduinus* ICtus. Nec mirandum eſt, indocto illo aeuo libri titulum mutatum fuiſſe in nomen auctoris, & nomen carminis ipſi impoſitum fuiſſe poëtae. Accidit idem eo temporis tractu poëtriae *Probae Falconiae*, cui quidam (f) fecerunt cognomen *Centonae* ex eo, quod *Centonem Virgilianum* ſcripſerat. Non afferam plura huius furfuris exempla, collecta a Cl. (g) *Mollero*, & Reu. (h) *Reimmanno*, & copioſiſſime a Cl. *Lilienthalio* in *Selectis hiſtoricis & literariis* toto capite decimo, quod propterea feſtiue inſcripſit *de ſoloeciſmo literario*. Nec repetam, quae alibi (i) commemoraui de ficto quodam *Muſaeo*, itemque de ficto *Heſperio Cynico*. Praetereo etiam ſicco pede ridiculum er-

 rorem

(f) *Vid. Cl. Kromayeri Proleg. ad nouiſſ. edit. p. 2. & 9.*
(g) *Homonymoſc. Sect. I. cap. 1. §. 5.*
(h) *Hiſt. lit. lib. I. ſect. 2. §. 12.*
(i) *In Actis Philoſ. P. I. p. 6. & P. XII. p. 915. ſq.*

rorem interpretis *Athenaei*, qui *lib. XIII. p.570.* κορίσκην (*puellam*) & Χαμαιτύπην (*Scortum*) vertit *Coriſcam* & *Chamaetypen*, quaſi eſſent nomina mulierum propria. Tribus quoque duntaxat verbis mentionem iniiciam perridicule effictorum Diuorum, *S. Amphibali* & *S. Xynoridis*. Scilicet cum alicubi *par martyrum* Graeco ξυνωρίδος ſiue συνωρίδος vocabulo ſignaretur, more Graecae linguae (k) haud ſane infrequenti; & alio loco *amphibali* fieret mentio, quod nomen ſignificat certum veſtis genus; imperiti quidam hinc *Diuam Xynoridem* ac *Diuum Amphibalum* exſculpſerunt, vt pluribus oſtendit admirandae vir eruditionis, *Ioannes Dallaeus, lib. I. de vſu Patrum Eccleſiae* (l) *cap. IV.* Unum addere libet exemplum memoratu vel ideo digniſſimum, quod nondum a quoquam hic error notatus fuit, ſublatusque. Scilicet commemoratur inter ſcriptores magicos a *Ioanne* (m) *Wiero*, *Martino* (n) *Delrio*, *Guidone* (o) *Patino*, *Petro* (p) *Bae-*

(k) *Complura huius generis exempla nuper protulit Cl. Maius in P. II. Biblioth. Vffenbach. MS. p.648 ſeq. Obſeruaui tamen, Athenaeum lib. VI. p. 247. & lib. XIII. p. 583. commemorare meretricem quampiam, cui nomen* Synoris.

(l) *Pag. 97. ſq.*

(m) *Lib. II. de praeſtig. daem. cap. 4. ineunte.*

(n) *Diſquiſ. magic. lib. I. cap. 3.*

(o) *In Patinianis p. 70.*

(p) *Baelio, Petro Frid.* (q) *Arpio*, aliisque, philoſophus quidam vel potius magus, cui nomen PICATRIX, traditurque is librum, qui MS. ſupereſt, de artibus necromanticis conſcripſiſſe. Scilicet nullus unquam hoc nomine vixit homo philoſophus, & ioculare illud ſiue philoſophi ſiue magi nomen effictum fuit ex titulo libri, qui ab auctore ſuo inſcriptus fuerat (ita equidem credo, nec vereor, ne fallar,) *Piatrix*. Eſt autem *Piatrix* idem, quod *ſaga* & *bariola* apud *Plautum* in *Milite* (r) *glorioſo*, ad quem inſpici meretur *Taubmanni* liber (s) commentarius. Impoſuit igitur auctor ille magicus libro ſuo nomen *Piatricis*, vnde factum, vt ipſe auctor illo ipſo nomine crederetur vſus eſſe. Aut nihil ſatis eſt, aut ſufficiunt haec exempla ad eximendum lectoribus meis ſcrupulum admirantibus, qui factum ſit, vt nomen rei, *Sympoſium*, mutaretur in nomen viri, ac tandem prodiret poëta ὅτις *Sympoſius*. Eo autem magis omnis euaneſcet dubitatio, ſi perpenderis, neminem vnquam virum nomen *Sympoſii* geſſiſſe, quemadmodum nec vllus vnquam exſti-

(p) *Epiſt. 137. p. 533.*
(q) *Lib. de Talismanibus cap. III. p. 106. ſq.*
(r) *Act. III. ſc. 1. v. 101.*
(s) *Pag. 703. Vid. & Martinii Lexic. philol.* v. piatrix, *& Voſſii Etymologicon Lat. ling.* v. pio.

exſtitit *Conuiuius*. Illud igitur hinc concludi oportet, Lactantium, dum ſuae poſteraeque aetati ingenioſa propoſuit aenigmata, ipſummet tandem factum fuiſſe aenigma, latentem quippe ſub ridiculo nomine *Sympoſii poëtae*.

IV.

Occurrit aliud, quod lectoribus meis hic reuocandum videtur in memoriam, vt, ſi quid ſupereſt de titulo libri dubitationis, radicitus euellatur. Scilicet non primus *Sympoſium* edidit Lactantius, ſed titulum illum mutuatus eſt a vetuſtioribus, quorum *Sympoſia* partim habemus adhuc, partim periiſſe relatum legimus. Habemus *Sympoſium Platonis*, *Sympoſium Xenophontis*, *Sympoſium Luciani*, *Sympoſium Plutarchi*, *Sympoſium Athenaei*, atque e Latinis *Sympoſium Macrobii*. Scripſerat & Ariſtoteles (t) *Sympoſium*, item (u) *Epicurus*, Cynicus denique ille (x) *Menippus*. Sed horum quidem triumuirorum *Sympoſia* ad aetatem noſtram non peruenerunt.

V.

Iſti librorum titulo occaſionem ſubminiſtrauerat mos veterum *poſt epulas*, vti teſtis

(t) *Teſtis eſt Laërtius lib. V. ſect. 22. & Athenaeus lib. XV. p. 674.*

(u) *Vid. Laërtius lib. X. Sect. 28. & 119.*

(x) *Teſte Athenaeo lib. XIV. p. 629.*

teſtis eſt (y) *Gellius, habendi ſermones literatos.* Ipſi philoſophi colebant hancce conſuetudinem, ſtatisque temporibus conuiuia celebrabant, in quibus non corpus ſolum cibo potuque, ſed etiam animus doctis reficiebatur ſermonibus; de quibus cum alibi commodiorem videar reperturus diſſerendi locum, nunc ſatis habeo delegare lectores meos ad *Ionſium*, qui in Opere ſuo *de ſcriptoribus hiſtoriae philoſophicae* (z) de illo philoſophantium more teſtimonia veterum complura produxit. Nec vero ſolis philoſophis placuit haec inter pocula erudite diſputandi ratio. Caeterarum quoque diſciplinarum ſtudioſi amabant *quaeſtiunculas ſympoſiacas*, quas vocat (a) *Gellius*, & ἐπικυλικείους (ita enim a Graecis appellitabantur, cuius rei teſtem cito *Diogenem* (b) *Laërtium*,) ἐξηγήσεις, non tamen afferentes ſeueriora triſtioraque, ſed ſe inuicem exercentes *quaeſtionum argutiis*, quas *bellaria* vocitabat Taurus philoſophus. Teſtis huius rei αὐτόπτης & αὐτήκοος eſt (c) *Gellius*, cuius & haec verba indidem repeto: *Quaerebantur non grauia nec reuerenda, ſed* ἐνθυ-

(y) *Lib. I. cap. 2.*
(z) *Lib. I. cap. XI. §. 5. & 6.*
(a) *Lib. VI. cap. 13.*
(b) *Lib. IV. §. 42.*
(c) *Loc. cit.*

ἐνθυμήματα quaedam lepida & minuta & florentem vino animum laceſſentia. Grauiſſimus eiusdem rei teſtis eſt Ciceronianus (d) ille Cato: Me vero, inquiens, *& is ſermo delectat, qui more maiorum a ſummo adhibetur in poculis. Morem* iſtum *maiorum*, quem Cato vocat, aemulandum duxit, qui Ennianum illud: MORIBUS ANTIQUIS, pro ſymbolo vſurpabat, *Iuſtus Lipſius.* Is namque in *Antiquis* ſuis *lectionibus* (e) leges ſanciens literati conuiuii, duodecimo decimoque tertio locis ſic edicit: *Carmen aliudue quid Muſaeum* (hoſpites) *proferunto, deque eo modice & modeſte anquirunto.* Caeterum inter literaria illa ζητήματα etiam ænigmata fuiſſe propoſita, cum dubitare vix liceat, ac ne vix quidem, longiori eius rei demonſtratione ſuperſedeo. Sed quid multis? Annon auctor ipſe Sympoſii Lactantiani in prologo ſuo id quemuis edocet longe clariſſime? annon *Gellius* (f) ſatis locuples teſtis eſt, propoſitas in couiuiis fuiſſe *ſubtilitates ludicras*?

VI.

Poſteaquam modo luce meridiana clarius factum eſt, auctorem libelli, de quo diſpu-

(d) *Lib. de ſenect. cap. 14.*
(e) *Lib. III. p. 107. & 115. ſq.*
(f) *Loc. cit. Vid. etiam Wowerius de Polymath. cap. X. §. 17.*

diſputamus, non fuiſſe *Sympoſium* aliquem, ſed *Sympoſium* eſſe ipſum libri titulum; reliqua ſubnectam argumenta, quibus effici poſſe puto, non alium, quam *Lactantium*, eſſe iſtius *Sympoſii* conditorem. Inter ea primo nunc loco memoro, quod in codice quodam MS. quo (g) *Pithoeus* vſus eſt, auctor libri noſtri nominatur *Coelius Firmianus Sympoſius.* Quae priora duo nomina cum Lactantium auctorem prodant apertiſſime, nihil iam ſupereſt, quam vt oſtendam, & ſtylum libelli & aetatem idem confirmare abunde. Stylus quidem certe nec aeuo nec perſona Lactantii indignus eſt, imo tantam is habet elegantiam, vt eam medio illo aeuo, quo adhuc crediderunt docti libellum illum natum fuiſſe, aſſecutus ſit nemo quisquam. Ea de re iudex ſibi quisque poteſt eſſe, qui Latinae elegantiae ſatis peritus eſt. Caeteris ſuadeo, vt annotationes perluſtrent meas, & inde condiſcant, poëtam noſtrum Latinarum elegantiarum fuiſſe adeo ſtudioſum, vt vix quisquam ſupra. Lactantium vero & poëſeos ſtrenuum fuiſſe inde a puero cultorem, non ſolum inueteratae famae teſtimonio conſtat inter omnes, verum etiam e ſuperſti-
tibus

(g) *Vid. Fabricii Bibl. Lat. lib. IV. cap. 1. §. 6. p. 673.*

tibus ipſius monumentis ſatis ſuperque intelligitur.

VII.

Venio ad aetatem huius *Sympoſii*, quod multo prius, quam barbaries Europam inundaret, exſtitiſſe, tam liquido a me demonſtratum iri ſpero, vt nemo iure poſſit contradicere. Vt enim ſtylum omittam, non obſcurum melioris aeui indicem, duos habeo auctores, qui *Sympoſii* noſtri tanquam a ſe viſi lectique antiquitus iniecerunt mentionem. Alter eſt *Adelmus* Epiſcopus, qui in Anglia ſaeculo ſeptimo (h) floruit, & librum *aenigmatum*, adhuc ſuperſtitem, verſibus hexametris compoſuit, eaque re noſtrum *Sympoſii* ſcriptorem imitatus eſt. Fatetur id ipſe, in praefatione ſuorum aenigmatum haec verba effundens: *Sympoſius poëta metricae artis peritia praeditus occultas aenigmatum propoſitiones exili materia ſumtas, ludibundis apicibus legitur ceciniſſe, & ſingulas quasque propoſitionum formulas tribus verſiculis terminare.* Vides, Lector, ab Adelmo, ſaeculi ſeptimi ſcriptore, Sympoſium noſtrum adduci vt librum aeuo ſuo vetuſtiorem, & quidem

(h) *Vid Cauens Hiſt. lit. ſcript. eccleſ. p. 389. Olearius Bibl. eccleſ. T. I. p. 10. & 11. Pol. Leyſerus Hiſt. poët. med. aeui p. 198. ſqq.*

dem non paulo vetuſtiorem, quia iam tum titulus libri euaſerat nomen poëtae. Videſne iam, neceſſe eſſe, vt quinto quartoue ſaeculo Sympoſium iſtud ſcriptum fuiſſe agnoſcamus? Liceat hic mendum aliquod tollere ex *Anonymo Mellicenſi*, non ita pridem euulgato a doctiſſimo *Pezio*. Ibi enim cap. LXXII. *Adelmus*, ille appellatur corrupte *Achelinus:* quod mendum neque *Pezio* ſuboluit, nec V. C. *Fabricio*, alteri Anonymi illius in *Bibliotheca eccleſiaſtica* editori.

VIII.

Alter *Sympoſii* noſtri priſco iam aeuo laudator fuit auctor ille Graeculus fabulae eroticae ſub titulo *Hiſtoriae Apollonii Tyrii* exſtantis, quem mille abhinc annis vixiſſe, perſuaſum habet (i) Cl. *Fabricius*. Is enim tria Sympoſii noſtri aenigmata Graecum translata in ſermonem exhibet. Ex quo manifeſtum eſt, Sympoſium noſtrum vno alteroque ſaeculo antè confectum in vulgusque elatum fuiſſe.

 Falli

(i) *Bibl. Graec. lib. III. cap. 15. p. 389. & lib. V. cap. 6. p. 821.* Poſſideo, *inquit Max. Reu.* Haſaeus *in literis ad me datis*, libri illius rariſſimum exemplar Graeco-barbara lingua exaratum, ad modum rhythmorum noſtrorum, editum Venetiis A. 1563. in 4.

Falli enim puto & *Petrum* (k) *Scriuerium* & *Caſp.* (l) *Barthium*, ratos, *Sympoſium* poëtam hiſtoriam iſtam eroticam in Latinum traduxiſſe ſermonem. Suppoſuerunt enim duumuiri illi, iunioris aeui foetum eſſe aenigmata noſtra: qua in re quam procul a vero abſint, *Adelmi* auctoritate ſuperius oſtendi.

IX.

Videor iam ſatis manifeſtum feciſſe, Sympoſium noſtrum a Lactantio profectum eſſe, Sed quoniam quaedam mihi ſuperſunt argumenta, leuioris illa quidem per ſe armaturae, at, cum ſuperioribus adiunguntur, non nihil habitura ponderis, nec ea praetereunda ſilentio videntur. Conſtat igitur, *Siccae*, quae Africae vrbs erat non ignobilis, Arnobii diſcipulum fuiſſe Lactantium. Iam vero *Siccae* illius diſertam fieri mentionem in ſecundo Sympoſii noſtri verſu, ex eodemque liquido apparere, compoſitum id in Schola Siccenſi fuiſſe, in annotatione ad illum verſum ita probaui, vt haud ſane meae me coniecturae poeniteat. Nec illud

(k) *Eius verba produxit Maſtrichtius in Theatro Placciano Pſeudonymorum n. 207. a.*

(l) *Videatur is Aduerſ. lib. LVIII. cap. I. p. 2720. & lib. XLII. cap. 17. p. 1900. & lib. XLV. cap. 24. p. 2012.*

illud nullius eſt momenti, quod *Caſtalio* teſtatur, ſe Sympoſium hoc reperiſſe in MS. codice inter carmina *Venantii Fortunati.* Notum enim Criticis (m) eſt, Venantii illius ac Lactantii poëticos libellos iam olim fuiſſe confuſos. Adiicio, in Sympoſio noſtro res nonnullas deſcribi medio illo aeuo non amplius vſitatas, Lactantii vero aetate adhuc e Romana luxuria ſuperſtites, e. g. *balneum*, *ſtrigilim*. Ultimo loco *Trithemium* (n) adduco, tradentem, Sympoſium Lactantii hexametris conſtitiſſe verſibus. Verum dum *Trithemium* cum recenſione *Hieronymi* confero, facile agnoſco, mendum irrepſiſſe in *Trithemium*, atque ſic reſcribendum eſſe: *Sympoſion lib. I. Hodoeporicon hexametro verſu lib. I.* Aperiam tamen, quid mihi *Hieronymum* inter haec relegenti in mentem venerit. Scilicet apud Hieronymum pro: *hexametris ſcriptum verſibus*, coniiciebam ſcriptum fuiſſe: *hexametris vtrumque verſibus. Vtrumque*, id eſt, cum Sympoſium, tum Hodoeporicum Lactantii. Quae ſcriptura ſi niteretur alicuius MS. codicis auctoritate, permagno foret ſententiae meae praeſidio. Caeterum ne imbecilli

(m) *Vid. Riueti Criticus ſacer lib. II. cap. 18.*
(n) *Lib. de ſcript. eccleſ. cap. 56.*

coniectura robur detraham argumentis meis caeteris per ſe ſatis firmis, eam non praefracte defendo, ſed velut ſomnium aliquod criticum poſtremo loco repono.

X.

Supereſt, vt breui recapitulatione potiora mea argumenta in vnum cogam. Hunc igitur in modum rationes ſubduco: Si Lactantius ſcripſit Sympoſium, ac praeter Lactantium nemo quisquam ſcriptorum eccleſiaſticorum; ſique is in adoleſcentia ſuum ſcripſit Sympoſium, qua aetate hoc noſtrum ſcriptum eſſe nemo dubitat; ſi porro Sympoſio huic praefixum in antiquis codicibus eſt nomen *Coelii Firmiani*; ſi praeterea noſtrum Sympoſium nec ſtylum habet Lactantio indignum, nec vel ætas vel aliud quicquam obſtat, quo minus id Lactantium habere poſſit auctorem; ſequitur profecto, meam coniecturam eſſe adeo veri ſimilem, vt iure meritoque Sympoſio noſtro praefigatur nomen Lactantii. Vnum addo, quod fautores meae ſententiae ſubſcriptoresque conciliaturum videtur facillime. Scilicet plura mihi ſuppetunt argumenta ad vindicandum hunc foetum Lactantio, quam *Baluzius* habuit probaturus, Lactantium eſſe auctorem *libri de morti-*

mortibus perſecutorum. Cum igitur (o) totus orbis iuerit in ſententiam Baluzii, eiusque argumenta iudicarit quauis exceptione maiora, quidni ego ſperem atque adeo confidam, quicquid eſt eruditorum, penſitatis accurate rationibus meis vetus illud FELICITER mihi acclamaturum eſſe? Iure enim meo poſtulo, quod quondam in *demonſtratione* ſua *Euangelica* (p) poſtulabat *Huetius*, *vt tam certo ea credantur, quae ego ſuperius probaui, quam creduntur alia, quae paris roboris rationibus nituntur.*

XI.

Nec proinde miratus ſum, aſſenſos mihi eſſe tres emunctiſſimae naris famaeque celeberrimae viros, *Theodorum Haſaeum, Io. Theophilum Krauſium,* & *Io. Matthiam Geſnerum*, quorum hic per literas, iſte in *Nouis* ſuis (q) *literariis*, ille in *Bibliotheca* (r) *Bremenſi*, me recte Lactantio aſſeruiſſe elegantiſ-

(o) *Haec dum ſcribo, in Bibliographia Anglicana* (Bibliotheque Angloiſe) *T. VIII. lego, Dan. Maichelium in libro* de bibliothecis Pariſienſibus *ſingulari capite contra* Nurrium *defendiſſe, auctorem libri* de mortibus perſecutorum *eſſe Lactantium.*

(p) *Pag. 18.*

(q) *A. 1720. Lat. p. 7. & 8.*

(r) *T. III. p. 378.*

gantiſſimum illud Sympoſium, arbitrati ſunt.

XII.

Sed nulla vnquam noua ſententia, quantocunque ſtipata praeſidio, ea vſa eſt felicitate, vt plane caruerit aduerſariis. Igitur & mea illa, quot ſubſcriptores, totidem nacta eſt antagoniſtas. Praecipuus in his eſt *Io. Alb. Fabricius*, vir ſummus in his literis, ſummeque mihi carus ob infinita in rem literariam merita, qui nuper (s) ὡς ἐν παρόδῳ indicauit, ſe in nouo *Supplemento Bibliothecae* ſuae *Latinae* meam impugnaturum eſſe ſententiam. Equidem auide eius argumenta inſpicere geſtio, ſperans tamen, ſi forte fortuna accidat vt is prius hanc meam praefationem perluſtret, fore, vt eiecta omni dubitatione Lactantium tandem agnoſcat *Sympoſii* parentem veriſſimum.

XIII.

Alter mihi contradixit (t) *Theophilus Sigefridus Beyerus*, ſcholae Palaeopolitanae in vrbe Regiomontana Collega & Bibliothecarius doctiſſimus. Sed huius quidem diſputatio adeo non dimouit me a mea ſententia, vt potius confirmatiorem reddi-

(s) *Bibl. Graec. lib. V. cap. 45. p. 539.*
(t) *In Nouis literariis modo memoratis p. 155.*

reddiderit. Sane dum de ſtylo & acumine horum aenigmatum fert iudicium, non obſcure prodit, ſe non ſatis attente legiſſe *Sympoſium.* Cum vero innuit, indignum eſſe Lactantio hoc opuſculum, quippe ludicrum & paene puerile, aſſentior poſterius, non item prius. Luſit enim hoc Sympoſium Lactantius admodum adoleſcens, teſte *Hieronymo.* Dicere igitur is cum (u) *Ouidio* poterat: *Integer & laetus laeta & iuuenilia luſi. Sunt etiam,* cum *Auſonio* (x) inquam, *Muſis ſua ludicra. Nec quisquam eſt illuſtrium poëtarum,* (ita *Statius* praefatur libro primo *Sylvarum* ſuarum,) *qui non aliquid operibus ſuis ſtylo remiſſiore praeluſerit.* Dicat igitur cauſam ſuam Lactantius his *Hieronymi* (y) verbis: *In illo opere pro aetate tunc luſimus, &* (z) *calentes adhuc a rhetorum ſtudiis atque doctrinis quaedam ſcholaſtico more depinximus.*

XIV.

Tertius interceſſit ſententiae meae auctor *Diarii Belgici*, quod *Wetſtenii* excudunt,

(u) *Triſt. V. 1. 7.*

(x) *Idyllio IV. 1.*

(y) *Epiſt. ad Nepotianum de vita Clericorum.*

(z) *Vulgo legitur hic:* calentibus adhuc rhetorum ſtudiis. *Sed ego ſcripturam ſequor a Gronouio reſtitutam in Monobiblo Obſeruatorum in ſcript. eccleſ. cap. XIX. p. 197.*

dunt, A. 1720. p. 554. cauſatus, auctorem *Sympoſii*, feſtos quippe Saturni dies concelebrantem, non Chriſtianum fuiſſe, ſed ethnicae nationis hominem. Poteram id aſſentiri viro doctisſimo, vt nihilominus firma perſiſtat mea de auctore Lactantio ſententia. Potuit enim ea tempeſtate, qua Sympoſium compoſuit, ethnicus eſſe Lactantius, ac poſtero demum tempore transgreſſus in caſtra Chriſtianorum. Etiam magiſter ipſius *Arnobius* ethnicus fuit, poſtea ſacra Chriſtiana & amplexatus & amplisſimo tutatus volumine. Ac fuerunt, qui Lactantium adhuc ethnicum compoſuiſſe (a) crederent carmen *de phoenice*. Nuper etiam Cl. *Walchius* (b) iis accesſit, qui credunt, paganis parentibus natum eſſe noſtrum Lactantium. Sed ego quidem nolo antagoniſtae meo reſponſionem opponere eam, quae mihi ipſi non ſatisfacit. Nam ſi Lactantius ex ethnicis tenebris ad lucem Chriſtianae ſapientiae emerſiſſet, videtur ſummum hoc Numinis beneficium alicubi librorum ſuorum commemoraturus fuiſſe

(a) *Vid. Miraeus annot. ad Hieronymi Catal. ſcript. eccl. cap. 80. & Fabricius Bibl. Lat. lib. IV. cap. 1. p. 678.*

(b) *Diſſ. de Lactantio cap. 2. p. 15.*

fuiſſe praedicaturusque. Etſi enim ipſam ſuam patriam pertinaci premit ſilentio, nec magiſtri ſui *Arnobii* vllam in ſuperſtitibus libris facit mentionem, priſtinae tamen religionis, ſi diuerſam a Chriſtiana prius habuiſſet, memoriam tot inuitantibus occaſionibus nec debuit ſupprimere nec, quae pietas eius fuit, voluit. Non quidem me fugit, afferri quendam Lactantii (c) locum ad probandum, eum ethnica in religione educatum fuiſſe. Verum is quidem locus cum id non ſatis probet, maneamus in hac ſententia, Lactantium etiam puerum fuiſſe Chriſtianum. Contendo enim, eum, cum iuſſu magiſtri ſui ethnici (illo enim aeuo & Chriſtianorum liberi obibant ſcholas ethnicorum,) tempore ſacrorum Saturni exemplo caeterorum condiſcipulorum haec aenigmata elaborauit, nihil feciſſe perſona hominis Chriſtiani indignum, nec ea re violaſſe Chriſtianam religionem. Nec enim quicquam in eius aenigmatibus ineſt, quod ſapiat ethniciſmum: tantum abeſt, vt auctorem probet ethnicum. Adeo innoxii ſunt ingenii luſus ac ne epiſcopo quidem Chriſtiano (ſupra enim vidimus, eodem carminis ge-

B 5 nere

(c) *Lib. VII. Inſtit. diuin. cap. 27. n. 1.*

nere luſiſſe *Adelmum*, poſtea factum epiſcopum,) indigni. Nec mouere quenquam debet Saturnalium in prologo facta mentio. Annon habemus Macrobii *Saturnalium conuiuiorum* ſeptem libros? Hoc tamen non obſtitit, quo minus is a multis haberetur pro homine religionis Chriſtianae. Nec *Planudes*, qui, teſte *Mich.* (d) *Neandro*, Graece vertit hoſce Macrobii libros, propterea e ciuitate Chriſtianorum eiici meretur. Etiam *Petrus Caſtellanus* A. 1616. Louanii edidit *Conuiuium Saturnale*, pariterque *Libertus Fromondus Coenas Saturnalitias*, vtriusque rei teſte *Alberto* (e) *Miraeo*. Hos vero quis neget Chriſtianos fuiſſe? Quid? quod facilius ex *Lipſii libri primi Saturnalium cap. 2.* & ex *libri II.* capite vltimo, itemque ex verſibus ad *Monauum* illi operi praefixis, probaueris, Lipſium fuiſſe ethnicum, quam ex Sympoſii noſtri prologo, id ab ethnico quopiam auctore profectum eſſe.

XV.

Imo poſſem largiri, quod tamen per veritatem non licet, in Sympoſio noſtro non pauca ineſſe nec ea obſcura ethniciſmi

cismi

(d) *Erotem. ling. Hebr. p. 560.*
(e) *Lib. de ſcript. ſaec. XVI. & XVII. cap. 210. p. 303. & cap. 220. p. 311.*

ciſmi veſtigia, ac nihilo minori iure ſtatuere, eius auctorem fuiſſe hominem Chriſtianum. Superſunt enim ex illo aeuo leges eccleſiaſticæ, quae, dum vetant feſta ethnicorum concelebrari, hoc ipſo probant, fuiſſe tum inter Chriſtianos, qui profeſſionis ſuae immemores intereſſe non vererentur ſacris ethnicorum. En legem (f) Concilii Laodiceni: *Non oportet cum ethnicis συνεορτάζειν.* Audiamus ipſum noſtrum Lactantium, iudicis inſtar ſic (g) pronuntiantem: *Si quis ſpectaculis intereſt, ad quae religionis gratia conuenitur, diſceſſit a DEI cultu; & ad deos ſe contulit, quorum natales & feſta celebrauit.* Ac *Saluianus* quoque lib. VI. *de gub. DEI* peracerbe queritur, ſua aetate Chriſtianos gauiſos eſſe ſpectaculis cruentis, vſos eſſe auſpiciis ethnicorum, delectatos eſſe ludis Circenſibus ac theatralibus. Cumque inter Afros tum vixerit Lactantius, cum hoc Sympoſium contexebat, idem *Saluianus* ſeptimo libro grauiter inuehitur in craſſam *Afrorum* Chri-

(f) *In Codice Canonum Eccleſiae vniuerſae edit. G. T. Meieri n. 143. Vid. ibid. n. 141. & n. 27. & n. 159. vbi diſerte vetantur* συμπόσια.

(g) *Inſtit. lib. VI. cap. 20. n. 36. Vid. & Auguſtinus lib. de catechizandis rudibus cap. 25.*

Chriſtianorum idololatriam. Quod ſi igitur & Lactantius hic peccaſſet, videtur ei adoleſcentulo ignoſcendum eſſe ob multitudinem idem peccantium. Sed non opus eſt ei hac excuſatione. Ipſum enim Sympoſium, vt iam dixi, docet, nihil admiſiſſe Lactantium, cum ethnico magiſtro parens Saturnales hos luſus compoſuit, quod homine Chriſtiano eſſet indignum, nec quicquam ibi ſcripſiſſe, quod non idem hodie ſcribere iure poſſit Chriſtianus quilibet.

XVI.

Apparet ex iis, quae adhuc diſſerui, ſatis lucide, Sympoſium noſtrum non alium habere auctorem, quam *L. Caecilium Firmianum Lactantium*, de cuius patria ac nomine non alienum hoc loco fuerit paucis agere, & errorem vnum alterumque, in quo vel doctiſſimi adhuc verſantur, ſtudioſe euellere. Ac primo quidem loco refellenda eſt Celeb. *Pfaffii* (h) opinio, eam ob cauſam *L. Caecilii* nomen Lactantio abiudicantis, quod nec Hieronymus nec Auguſtinus hoc ei nomen tribuerint. Scilicet moris eſt doctis omnibus, eorum, qui pluribus vſi ſunt nomini-

(h) *In prolegom. ad Lactantii Epitomen Inſtit. diuin.* §. *12. & 13.*

minibus, non niſi celebratiſſimum notiſſimumque vſurpare. Crediderim, eosdem, quos vir doctiſſimus adduxit, duumviros nuhquam Cyprianum, ſanctiſſimum martyrem, *Caecilii Thaſcii* cognominibus inſigniiſſe. Certe in *Catalogo* ſuo *Hieronymus* ei ſolum *Cypriani* nomen tribuit. An proinde negabimus, integrum viri nomen eſſe *Caecilium Thaſcium Cyprianum?* Et quam multi Ciceronem nunquam appellarunt *M. Tullium!* Vt hinc ſatis ſuperque comprobata ſit illius argumenti leuitas.

XVII.

Sunt, qui pro *Caecilio Coelium* appellent Lactantium noſtrum: quos adire iubeo *Baluzii* & *Bauldrii* ad titulum libri *de mortibus perſecutorum* annotationes. Hi enim aſſenſu digni mihi viſi ſunt, cum probatum iuerunt, non *Coelium*, ſed *Caecilium*, verum eſſe Lactantii nomen. Ac multis iam olim exemplis demonſtrauit (i) *Voſſius Coelii* ac *Caecilii* nomina frequenter confundi ſolita eſſe a librariis.

XVIII.

Caeterum vulgata eſt opinio, Lactantium cognomen Firmiani accepiſſe a patria

(i) *Inſtit. orat. lib. IV. cap. XI. §. 5. p. 209.*

patria *Firmo*, agri Piceni oppido. Sed hic quidem error facile confutatur. Primum enim oſtendemus inferius, *Firmianum* fuiſſe proprium Lactantii nomen, neque adeo a patria inditum. Deinde *Firmo* oriundi non *Firmiani* priſcis appellabantur, ſed *Firmani*. *L. Tarutii Firmani* meminit *Cicero lib. II. de diuin. cap.* 47. Ac *Plinius lib. VI. epiſt.* 15. ſcribit, ſe acturum in foro cauſam *Firmanorum.* Alter quoque *Plinius* (k) *caſtellum Firmanorum* in agro Piceno commemorat. Perpendentes hoc alii, ſimulque pro certo ſupponentes, Italum natione eſſe Lactantium, in eam venerunt opinionem, vt contenderent, *Formianum* eum dicendum eſſe a *Formiis*, vrbe Campaniae. Refert hoc *Ptolemaeus Flauius*, Anconitanus, *Coniectaneorum* (l) capite LXXXIX. addens, ſe nec probare id, nec improbare. Nos vero exiſtimamus, recitaſſe hanc opinionem eſſe eam refutaſſe. *Scilicet turpe eſt*, vt *Lactantii* noſtri (m) verbis hic vtar, *hominem ingenioſum id dicere, quod ſi neges, probare non poſſit.*

XIX.

(k) *Hiſt. natur. lib. III. cap.* 13.
(l) *In Theſauro Crit. Gruteri T. I. p.* 990.
(m) *Inſtit. lib. III. cap.* 29. *n.* 6.

XIX.

Sed quid multis? Studuit in Africa Lactantius inde a puero, docuit in Africa, tandemque ex Africa euocatus eſt a Diocletiano Imp. Nicomediam. Merito igitur, Afrum eum ortu eſſe, credimus, ac tamdiu credimus, donec id firmiſſimis conuellatur vel argumentis vel teſtimoniis. Cumque *Siccae* (n) primos aetatis annos transegiſſe Lactantium exploratum ſit, quidni credamus, eum *Coelii* (o) *Aureliani*, Medici, quem & ipſum *Siccenſem* fuiſſe conſtat, ciuem ſiue municipem fuiſſe? Video quidem, Celeb. *Walchium* (p) ex ſtylo Lactantii probatum iuiſſe, eum non eſſe Afrum. Sed quam infirmum hoc ſit argumentum, vel ex eo patet, quod tot nobis ſuperſunt Africani ſcriptores nihil trahentes e natalis ſoli ſtribligine. Quem enim fugit, Afrum fuiſſe *Terentium*, cuius ſtylum certatim collaudat vniuerſus philologorum ordo? Afrum fuiſſe *Cyprianum*, de cuius dicendi genere hunc iudicat in modum

(n) *De hac vrbe Africae, cuius etiam Plinius meminit lib. V. cap. 3. & Salluſtius Iugurth. cap. 56. vid. Fabricius not. ad Hieron. Catal. cap. 79.*

(o) *De hoc vid. Fabricius Bibl. Lat. lib. IV. cap. 12. p. 862.*

(p) *Diſſert. cit. cap. 1. p. 14.*

modum *Lactantius* (q) noſter: *Erat ingenio facili, copioſo, ſuaui & (quae ſermonis maxima eſt virtus,) aperto, vt diſcernere nequeas, vtrumne ornatior in eloquendo, an facilior in explicando, an potentior in perſuadendo fuerit.* Quis neſcit, Afrum fuiſſe *Auguſtinum*, itemque *Optatum Mileuitanum*, quorum dictio ſatis pure nitideque profluit? Vt adeo mirum eſſe non debeat, nos nihil moueri illo Cl. *Walchii* argumento, ſed certum habere, Afrum fuiſſe Lactantium: quae ſententia etiam placet *Tillemontio* in *Commentariis* (r) *Hiſtoriae eccleſiaſticae*, *Baluzio* (s) atque (t) Cl. *Fabricio.*

XX.

Vnde igitur, inquies, *Firmiani* nomen? Fuiſſe hoc proprium virorum nomen, illo aeuo non infrequens, facile ſibi perſuadebit, qui conſiderauerit, plura veteribus nomina fuiſſe propria a *firmus* deducta. Non enim ſolum ipſum nomen *Firmus* factum eſt nomen proprium, ſed etiam *Firmius*, *Firmicus*, *Firminus*, (u) *Firmilianus*, *Firmianus*. Pari modo a *fauſtus*

(q) *Inſtit. lib. V. cap. 1. n. 25.*
(r) *T. VI. p. 203.*
(s) *In Prooemio ad lib. de mort. perſec. p. 5.*
(t) *Annot. ad Hieron. Catal. ſcript. eccl. cap. 80. not. b.*
(u) Firmini *cuiusdam meminit Plinius lib. II. epiſt. 11. & 12. item Auguſtinus lib. VII. Confeſſ. cap. 6.*

fauſtus habemus nomina propria *Fauſti*, *Fauſtuli*, *Fauſtini*, *Fauſtiani*; a *Marcus* nomina *Marcionis*, *Marcelli*, *Marcellii*, *Marcellini*; a *Marte* nomina *Martii*, *Martini*, *Martiani*, *Martialis*. Eadem ratione orta ſunt nomina *Probi*, *Probini*, *Probiani*; *Quinti*, *Quintii*, *Quintini*, *Quintilii*, *Quintiliani*; *Serui*, *Seruii*, *Seruiani*, *Seruilii*; *Minutii*, *Minutiani*; *Priſci*, *Priſciani*; *Flacci*, *Flaccini*, (x) *Flacciani*. Vti igitur in hoc catalogo videmus *Fauſtinos* & *Fauſtianos*, *Martinos* & *Martianos*, *Probinos* & *Probianos*, *Flaccinos* & *Flaccianos*, ſic nec mirum videri debet, *Firminos* exſtitiſſe ac *Firmianos*: neque adeo, audito *Firmiani* nomine, continuo de vrbe hominis patria, cui nomen *Firmo*, cogitandum eſt.

XXI.

Supereſt *Lactantii* nomen, quod communiter creditur ei inditum fuiſſe a *lacteo* flumine eloquentiae. Sed & haec ſententia, & ſimul altera illa de patria eius *Firmo*, ſatis refellitur ſilentio *Hieronymi*. Is enim cum in *Catalogo* ſuo, tum alibi, vbi *Lactantii* mentionem facit, (quae quidem loca congeſſit *Grauius* in notis ad memorati modo *Catalogi caput LXXX*.) perſpicue

C oſten-

(x) Flaccini *cuiusdam fit mentio in Lactantii lib. de mort. perſ. cap. 16. n. 4.* Flacciani *vero cuiusdam meminit Auguſtinus lib. I. contra Academ. cap. 6.*

oſtendit, vtrumque nomen, & *Lactantii*, & *Firmiani*, ipſius fuiſſe proprium: vt multum errent, qui ea pro cognominibus habent a patria & eloquentia impoſitis. Id quo minus dubium ſit, recordandum, aeuo illo in vſu plura fuiſſe nomina eiusdem generis. Quomodo enim a *lactans* deriuatum eſt nomen *Lactantii*, ſic a *prudens*, *vincens*, *conſtans*, *fulgens*, *gaudens*, *innocens*, *vigilans*, *oriens*, *venans*, habemus nomina vulgo nota *Prudentii*, *Vincentii*, *Conſtantii*, *Fulgentii*, *Gaudentii*, *Innocentii*, *Vigilantii*, *Orientii*, *Venantii*. Pari ratione a *tonans*, *audens*, *conans*, *florens*, exorta ſunt nomina *Tonantii*, *Audentii*, *Conantii*, *Florentii*, quos memoratos vide ſis apud (y) *Gennadium*, (z) *Ildefonſum*, & (a) *Miraeum*.

XXII.

Cum vero multitudo nominum *Lactantii* in cauſa videatur eſſe, cur tam multi duo ipſi tribuerint adſcititia nomina, quorum alterum a ſtudio eloquentiae, a patria alterum, ipſius proprio nomini adiunctum fuiſſe crediderunt, age, paucis oſtendamus, non eſſe, cur miremur, vnum hominem quatuor nominibus appellari *L. Caecilium Firmianum Lactantium*. Erat enim illo

(y) *Lib. de ſcript. eccl. cap. 14.*
(z) *Lib. eiusdem tituli cap. XI.*
(a) *Auctar. ſcript. eccleſ. cap. 78. & 336.*

illo aeuo ea nominum multitudo publici ſaporis, vt vel ex *Fabricii Bibliotheca Latina* notum eſſe debet hiſtoriae literariae tironibus. In ea enim exhibentur nobis *Anicius Manlius Torquatus Seuerinus Boëthius; Martianus Mineus Felix Capella; C. Sollius Apollinaris Sidonius; Q. Septimius Florens Tertullianus; Thaſcius Caecilius Cyprianus; Macrobius Ambroſius Aurelius Theodoſius; Rufus Feſtus Auienus; Iulius Firmicus Maternus; M. Aurelius Olympius Nemeſianus; Palladius Rutilius Taurus AEmilianus; Latinus Pacatius Trepanius; Venantius Honorius Clementianus Fortunatus; Aurelius Prudentius Clemens; κ. τ. λ.*

XXIII.

A *Lactantii* patria & nominibus reuertimur ad ipſius *Sympoſium*, fata eius, quam diligentiſſime perſecuturi. Quantam id olim celebritatem habuerit, iam ſupra ex *Adelmo* atque ex auctore *Hiſtoriae Apollonii Tyrii* didicimus. Ex eo tempore propemodum intercidiſſe videtur eius memoria. Mihi certe duo duntaxat ex medio illo, quod vocant, aeuo occurrerunt, qui *Sympoſii* illius faciunt mentionem, quorum tamen alter ſe fatetur id non vſurpaſſe propriis oculis. Prior eſt *Sigebertus Gemblacenſis*, qui initio ſaeculi Chriſtiani duodecimi floruit. Is in libro ſuo *de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. 132.*

de *Adelmo* epiſcopo, cuius aenigmatum liber adhuc exſtat: *Imitatus eſt*, inquit, *Symphroſium, qui per proſopopoeiam qualitates ſingularum rerum exprimens ſcripſit librum aenigmatum metrice.* Dicere non habeo, vtrum ipſius *Sigeberti*, an librarii, vitio hic ſcriptum ſit *Symphroſius*. *Adelmus* ſane, vt ſupra vidimus, *Sympoſium* vocauit. Sed facile equidem crediderim, librario deberi corruptelam, cui cum *Sympoſii* nomen eſſet inauditum, is ex martyrologiis recordatus *Symphoroſae*, pro *Sympoſio* ſcribendum duxiſſe videtur *Symphroſius*. Caeterum *Sympoſium* noſtrum eum in modum deſcribit *Sigebertus*, vt dubitare vix liceat, ipſum ſuis triuiſſe libellum iſtum manibus.

XXIV.

Alter eſt Anonymus ille Mellicenſis, cuius iam ſupra inieci mentionem de *Adelmo* loquens. Is igitur, prout prius a *Pezio*, Benedictino doctiſſimo, qui ſaeculo eum duodecimo vixiſſe credit; deinde a Cl. *Fabricio*, editus fuit, capite LXXIII. haec habet: *Symphroſius, vir eruditiſſimus, ſermone ac ſcientia ſua, nihilominus ſcribit aenigmata, quae cum hodieque habeantur a pluribus, nos tamen necdum legendorum eorum copiam habere potuimus.* Vt mentem ſcriptoris huius rectius percipiamus, tolla-

tollamus neceſſe eſt mendoſam ſcripturam: id quod non eſt difficile, poſtquam obſeruauimus, ei ob oculos verſatum (b) fuiſſe modo memoratum librum *Sigeberti.* Huius igitur *Sigeberti* inſpectio capitum 132. 137. & 146. me perduxit ad veram ſcripturam, quae haud dubie haec eſt: *ſermone ac ſcientia clarus, ſtilo metrico ſcribit aenigmata.* Scilicet ex *ſtilo metrico* factum eſt *hilo minus.* Cave vero τὸ *ſcribit* mutes in *ſcripſit.* Moris enim eſt iſti Anonymo, hoc praeſens vſurpare pro praeterito: cuius rei exempla ſingulis prope capitibus iſtius libelli vltro ſe legentibus offerunt.

XXV.

Poſt illum ſcriptorem non habeo quenquam, qui vel verbulo meminerit Lactantiani noſtri *Sympoſii* ante ſaeculum decimum quintum, quo id e longi temporis tenebris rurſus protraxit *Ioannes Nobletus* quidam, monachus Gallus in vrbe Pariſiorum. Ita enim interpretor *Trithemium*, libro *de ſcript. eccl. cap.* 783. teſtan-

(b) *Hoc etiam inde confirmo, quod Anonymus aeque, ac Sigebertus, duobus ſeparatis locis mentionem fecit illius Adelmi, hic cap. 66. & 132; ille cap. 30. & 73.*

ſtantem, a *Nobleto* (c) illo editum fuiſſe librum vnum, *Centiloquium aenigmatum* inſcriptum. Cum enim *Sympoſium* noſtrum omnino centum habeat aenigmata, *Nobletus* ſtylum aeui ſui ſecutus ei titulum dediſſe videtur *Centiloquii*.

XXVI.

Tandem reuerſis in Europam Muſis cum typographiae miniſterio tot omnis generis libri innumeris deſcriberentur exemplis, etiam *Sympoſium* noſtrum inuenit, qui ipſum in apricum produceret, omniumque literatorum exponeret conſpectui. Fuit is *Ioachimus* (d) *Perionius*, cuius ideo editionem *principem*, hoc eſt, primam, paſſim appellat *Caſp. Barthius*. *Antiquiſſima eſt* (en eiusdem *Barthii* (e) verba,) *editio*

(c) *Totam Trithemii de Nobleti libris narrationem ad verbum repetiit, tacito tamen Trithemio, Geſnerus in Bibliotheca.*

(d) *Fuit Benedictinae familiae monachus inuſitatae doctrinae, & Profeſſor regius Pariſienſis, acris Petri Rami antagoniſta. Geſnerus in Bibl. eius libros editos, qui plurimi ſunt, recenſet, editionem tamen Sympoſii omittens. De eodem viro vid. praeter Thuanum Sammarthanus Elog. Gall. lib. I. p. 37. ſq. Dupinius Bibl. ſcript. eccleſ. T. XVI. Miraeus de ſcript. ſaec. XVI. cap. 75. p. 169. Morerius Diction. v* Perrion.

(e) *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

editio Ioachimi Perionii, qui Sympoſium primus protulit. Non tamen videtur eam manibus atque oculis vſurpaſſe ſuis *Barthius*, ſed tantum *AEnigmatographiam Reuſneri*, qui ex Perioniana editione *Sympoſium* ibi exhibuit, inſpexiſſe. *Beſſelius* vero eam in manibus habuit, vt colligo ex annotatione eius ad aenigma centeſimum, item ad prologi verſum poſtremum. Mihi tam felici eſſe non licuit, vt aut ipſe eam editionem viderem, aut quenquam amicorum inuenirem, qui de ea conſpecta perhibere mihi poſſet teſtimonium. Solus *Theodorus Haſaeus*, vir varia doctrina excultiſſimus meique ſtudioſiſſimus, me docuit, in *Catalogo Bibliothecae Tellerianae*, quae Lutetiae A. 1693. prodiit, *p. 398.* adduci editionem *Sympoſii* factam A. 1538. a *Ioach. Camerario.* Idem tamen a me admonitus, pro *Ioach. Camerario* legendum videri *Ioach. Perionium*, id eo facilius mihi aſſenſus eſt, quod in *Catalogo Operum Camerarii*, qui a *G. Summero* Gedani A. 1646. (in 8.) editus eſt, nullam deprehenderet fieri editionis *Sympoſii* mentionem. Ac inferius ipſius *Camerarii* teſtimonio comprobabo, eum non edidiſſe *Sympoſium*, ſed aliquot duntaxat aenigmata inde depromta ſuis inſeruiſſe *Elementis rhetoricis.* Habemus igitur, primam *Sympoſii* editionem prodiiſſe

Lutetiae A. 1538: niſi forte & hic typographicum ſubeſt mendum. Nam in Diario Belgico (f) relatum legimus, *Sympoſium* illud Pariſiis editum fuiſſe A. 1533. Caeterum non miror equidem, primum Gallicis typis exſcriptum fuiſſe *Sympoſium*, poſtquam ſupra oſtendi, in Gallia *Nobletum* ſaeculo XV. velut ex inferis in lucem id reduxiſſe & in notitiam mortalium.

XXVII.

Etſi vero ipſam illam *Perionii* Pariſienſem editionem non vidi, deſiderium tamen meum leuatum ſenſi, cum amicus mihi quidam ſubminiſtrauit *AEnigmatographiam ſiue Syllogen aenigmatum & griphorum conuiualium* a *Nicolao Reuſnero*, ICto, iterum editam Francofurti A. 1602. in 12. Ibi enim ex editione Perioniana repetita exhibentur *p. 148. Symphoſii, poëtae veteris elegantiſſimi, erudita iuxta, ac arguta & feſtiua aenigmata:* praemittiturque ipſius *Perionii* praefatio p. 145. 146. & 147. Doleo tamen, nec *Perionium* praefationi eidemque dedicationi ſuae adieciſſe mentionem anni, quo eam perſcripſit, nec *Reuſnerum* vel verbulum adiunxiſſe de illa editione *Perionii*, quam ſecutus eſt. Ex eo tempore in *Georgii Draudii Bibliotheca Claſſi-*

(f) *Loco ſupra indicato p. 554.*

Claſſica (g) reperi traditum, primam *AEnigmatographiae Reuſnerianae* editionem prodiiſſe Argentorati A.1589. in 8. Qui *Draudius* etſi non habet accuratae induſtriae laudem, ei tamen tamdiu fidem habui, donec tum ex *Reuſneri* Epiſtola dedicatoria, cui is *annum Domini poſt milleſimum vndeſexcenteſimum*, ſubſcripſit, diffidendi cauſam nactus ſum, tum hoc ipſo tempore, quo totus ſum in contexenda hac mea praefatione, ab amico quodam literas accipio, ex eiusque αὐτοψίᾳ diſco, primam *AEnigmatographiae* editionem prodiiſſe Francofurti A. 1599. in 12. An hac editione locupletior ſit altera illa A. 1602. vt modo dixi, emiſſa, non habeo compertum. Illud haec legentium in gratiam addo, editionem ſecundam duas diuiſam eſſe in partes, quarum altera hoc inſcripta titulo eſt: *Ioannis Lauterbachii AEnigmata, additis ſimul Nic. Reuſneri AEnigmatis. E Collegio Paltheniano A. 1601.* Simul ex relatione laudati amici de prima *Reuſneri* editione cognoui, in ea non omnino eodem (h) modo exhiberi *Sympoſii* aenigmata, ſed duas illas editiones tantummodo vsque ad aenigma

(g) *Pag. 1505.*

(h) *Etiam titulus aenigmatis 68. in ſecunda editione eſt* Vitrum, *in prima* Vitreum.

ſexageſimum octauum, quod ad numeros aenigmatibus inſcriptos attinet, concordare. Hinc quod aenigma in prima editione locum proxime ſequentem LXIX. occuparat, in altera eſt ſeptuageſimum, interiecto aenigmate *de ſpeculo.*

XXVIII.

Caeterum quid mihi videatur de MS. codice, quem ſecutus eſt *Perionius*, infra expromam, vbi differendum habeo de variantibus *Sympoſii* ſcripturis. Hoc loco faciendum mihi puto, vt integram *Perionii* Praefationem exhibeam, perdocte perque nitide ſcriptam illam, & rectisſimum ferentem de ſympoſiacis his aenigmatibus iudicium.

IOACHIMVS PERIONIVS BENEDICTINVS IOANNI GANERIO, ampliſſimi Praeſulis Maclouienſis Secretario, S. D. P.

Cum nuper, Ioannes Ganeri, in ſermonibus amicorum eſſet mentio inducta de antiquis ſcriptoribus, quorum aut plane intercidiſſent libri aut imperfecti ad nos perueniſſent, iisque quoddam vetus de hac re conſilium meum expoſuiſſem; coeperunt illi hortari me, ac eo ſuadendo impulerunt, vt me dicerem non recuſare, quin primo quoque tempore aduehendum ex bibliotheca Cormoeriacena curarem veterem quendam codicem,

qui

qui eſſet iampridem a me ad hos caſus reſeruatus. Ex quo facile intelligebam, mihi in eo elaborandum eſſe, vt magna celeritate negotium ipſum illud conficeretur: cum me in hanc cauſam incumbentem etiam caſus adiuuit. Forte ita acciderat, vt poſtridie adoleſcens quidam ſe velle diceret Cormoeriacum (i) *proficiſci. Huic igitur dedi ad Guilielmum Crucium cupidiſſimum mei & amantiſſimum, literas, quibus ab eo petebam, vt quamprimum ad me codicem illum mitteret. Quod tam pertinere ad ſuam fidem putauit, vt in tot tamque impeditis itineribus, tamen vigeſimo prope, quam ſcripſiſſem, die mibi ab eo literae cum libro redderentur. Cum autem accepiſſem librum, cumque non negligenter euoluerem, incidi in Symphoſii cuiusdam aenigmata, quae ſunt ab illo ſingula ternis verſibus comprehenſa: quorum ego adeo ſum lectione delectatus, non tam quod* (k) *nemo eorum, quos habemus, in hoc genere ſtylum exercuiſſet, quam quod verſus ipſi & lepidi eſſent & arguti: vt Symphoſii memoriam & lau-*

(i) *Sammarthanus lib. I. Elog. p. 37. ſcribit per e ſimplex* Cormeriacum, *teſtaturque, eſſe id agri Turonenſis oppidulum, opulento Benedictinorum monaſterio nobile, in eoque coenobio de vita migraſſe Perionium.*

(k) *Errat Perionius, nec recordatus eſt Virgilianorum aenigmatum in Bucolicis latentium, nec aenigmatum Adelmi, quorum ſingularis liber ſupereſt. De aliis infra ſe offeret dicendi locus.*

& laudem ab obliuione hominum a me iudicarem vindicari oportere. Quod ſi fecero, aut potius quoniam feci, velim ſtatuant alii, me, quae fecerim, ſtudio rei literariae iuuandae (nam ornandae dicere inuidioſum fuerit,) feciſſe. Quod verum eſſe non negabunt, qui modo experiantur, quantis res literaria ſit ornamentis ſpoliata, quod Ciceronis in ea, Saluſtii & T. Liuii multa, aliorum omnia, requirantur: in quo ſemper mea haec fuit ſententia, vt contenderem, ſi ſibi quisque coenobiorum omnium omnes bibliothecas terendas eſſe ac euoluendas quaſi ſuſcepta religione putaret, omnium ſcripta erui e tenebris aliquando poſſe. Quod ad me attinet, in Symphoſio videor aliquod documentum dediſſe, quid ſim per occaſionem facturus, ſi in maiora incidero. Quanquam ſi quis rem velit vere aeſtimare, non erit in infimis ponendus Symphoſius. De puritate quidem Latini ſermonis, cum iis, qui ſupra mille annos ſcripſerunt, (excipe eos, qui noſtra & patrum noſtrorum memoria exſtiterunt,) facile contenderit. Paucis vero antiquorum palmam apte dicendi conceſſerit, vt qui res obſcuriſſimas tractet planisſime, in quo vis ingenii perſpici poteſt vel maxima. Iam vero rerum earum, quas tractat, vim eum & naturas plane tenuiſſe, vel ex hoc intelligi poteſt, quod earum (l) *magnam partem*

(l) Quod arte magna ex parte *exſtat in editione Reuſneri vtraque. Manifeſtum mendum, quod non infeliciter ſuſtuliſſe videor.*

tem in iocos, riſus & ſales contulit, in quibus peritia ſola dominatur. De patria nihil tradere certi poſſum, & de tempore non amplius. Acceſſerunt aenigmatibus ſcita ſeptem Sapientum, quae vulgo feruntur Auſonii. Ea vero vt ſubiicerem ad fidem eius codicis recognita, coëgerunt duo verſus, qui in omnibus exemplaribus noſtris deſiderantur. Quod ii animaduertent, quos non pigebit, cum his alia conferre. Caeterum quo animo haec ſint a nobis excepturi alii, neſcio: tibi vero, optime Generi, ſub cuius nomine exeunt, non ingrata fore, certo ſcio. Vale.

XXIX.

Hactenus *Perionius.* Supereſt, vt moneam, in Perioniana (m) editione non eundem ſeruari aenigmatum ordinem, qui in aliorum editionibus: itemque ibi deſiderari aenigma illud ἀνώνυμον, quod in mea editione locum tenet nonageſimum quartum, & contra exhiberi aliud, quod caeteris in editionibus non exſtat, *de cuculo*, idque ordine vltimum. En illud:

CVCV-

(m) *Hanc editionem videtur* Gyraldus *in manibus habuiſſe, cum in libello* de aenigmatibus, *p. 51. edit. Reuſneri in AEnigmatographia, at in Operibus Gyraldi T. II. p. 464. Sympoſii recitat aenigma* de ſomno. *Scriptura enim Gyraldi omni ex parte conſentit cum editione Perionii.*

CVCVLVS.

Frigore digredior, redeunte calore reuertor:
Deſero, quod peperi: hoc tamen educat altera mater.
Quid tibi vis aliud dicam? Me vox mea prodit.

Cum vero hoc aenigma reliquorum Sympoſii aenigmatum elegantiam & concinnitatem haud aequet, ſuſpicor, id inſertum fuiſſe a ſemidocto quopiam monacho, qui illud alterum, quod dixi, non capiens, atque adeo pro ἀλύτῳ habens, aliud aenigma, cuius ſenſus ipſi non incognitus erat, eius in locum ſufficere auſus eſt.

XXX.

Poſt *Perionium* haec aenigmata innotuerunt *Ioachimo Camerario*, viro inter primarios ſaeculi ſui referendo, qui in *Elementis rhetoricae* editionis (n) anni 1600, (in 8.) *p. 273.* haec praefatus: *Nos etiam incidimus in varia quaedam aenigmata, Latinis non prorſus malis verſibus compoſita ab auctore Symphorio quodam, vt ipſe praeſcripſit, de quibus ſelecta aliquot huic expoſitioni adiicere viſum;* ſubiungit e Sympoſio noſtro tredecim aenigmata, *de claue, fumo, tinea, mure, Phoeni-*

(n) *Prima libri huius Camerariani editio prodiit A. 1540. Alia prodiit Lipſiae in 8. A. 1563.*

Phoenice, tauro, capra, mulo, tigride, papauere, clepſydra, tibia, & *ſomno*. Hinc praemiſſis hiſce verbis: *Sed quaedam etiam coniicienda vobis iam relinquemus, quibus quid ſignificetur, nunc quidem reticebimus*; quatuor ſubiungit carentia titulo aenigmata; quae in noſtra editione exſtant loco 76. 94. 82. & 83. Diſcrepant autem aenigmata Camerarianae huius editionis in multis ab editione *Perionii*: vt non ſit dubium, hauſiſſe *Camerarium* aenigmata ſua e MS. quodam codice.

XXXI.

A. 1545. *tres libros AEnigmatum* Francofurti in octauo, vt cum typographorum filiis loquar, edidit *Ioannes Lorichius Hadamarius*. Hic libro tertio, folii 71. priore, folii 82. itidem priore, folii 83. vtraque pagina, ac poſtremo folii 84. (quod vltimum eſt totius operis,) pagina priore, exhibentur quatuordecim *Sympoſii* aenigmata. Sed cum ſingula illa ſine vlla ſcripturae diuerſitate exſtent in memoratis modo *Camerarii Elementis Rhetoricae*, credere cogor, a *Lorichio* ea exſcripta hinc fuiſſe, etſi id ipſe *Lorichius* praeteriit ſilentio,

XXXII.

Cum vero *Camerarius* ne quintam quidem Sympoſii partem loco iſto, quem

modo

modo monſtraui, produxerit, ſecundae Sympoſii editionis laus tribuenda vtique eſt *Petro Pithoeo*, viro clariſſimo. Is enim A. 1590. in 12. e MS. edidit (quae editio Geneuae recuſa eſt A. 1596. in 8.) Syllogen poëmatum veterum, quam recenſet *Fabricius* in *Bibliotheca* (o) *Latina*. In ea Sylloge etiam exſtant *Coelii Sympoſii AEnigmata centum*. Non venit in manus meas haec editio, ac facile ea carere potui, cum variantes lectiones ex *Pithoei* editione deſcriptas annotationibus ſuis in *Sympoſium* inſeruerit *Caſtalio*. Neque enim *Perionii* editionem expreſſit *Pithoeus*, ſed ex vetere quodam manu exarato libro ſuum hauſit *Sympoſium*.

XXXIII.

Tertius igitur *Sympoſii* noſtri editor fuit *Ioſephus Caſtalio*, Anconitanus, vir nobili ſtirpe editus, ac pluribus ingenii monumentis clarus, quae *Nicolaus Toppius* (p) recenſet in *Bibliotheca* (q) *Neapolitana*, omittens tamen eius in *Sympoſium* annotationes.

(o) *Lib. IV. cap. 1. §. 6. & 7.*

(p) *Praeter hunc de Caſtalionis vita ſcriptisque inſpici meretur Miraeus lib. de ſcript. ſaec. XVI. cap. 215. & Erythraeus Pinacoth. P. I. p. 167. idemque Exemplorum cap. 92. p. 169.*

(q) *Pag. 170.*

nes. Nec vero ſolum *Sympoſium* e codice quodam MS. edidit *Caſtalio* A. 1581. ſed poſtea quoque adiunxit ſcholia. Fugit quidem oculos meos prima illa *Caſtalionis* editio. Vt autem anno iſti primam *Caſtalionis* editionem adſcribere ſuſtineam, adducor ipſis eius verbis, quae Dedicationi ſuae ad Illuſtriſſimum Thomam Aualum, Marchionis Piſcariae filium, (cuius ſe illo tempore praeceptorem fuiſſe, in ipſa Dedicatione teſtatur,) ſubſcripſit, iisque docuit nos, ſcriptam ab ſe illam dedicationem fuiſſe *Romae pridie Idus Octob. M. D. LXXXI.* Ex illa Dedicatione nihil ad *Sympoſium* pertinet praeter haec verba, quæ praetermittere nequaquam debeo: *Erat apud me*, inquit, *in poſtremo Venantii Fortunati codice manuſcripto Sympoſii veteris poëtae carmen antiquum, lepidum, eruditum, venuſtum.* Memorari autem video a viris doctis editionem *Caſtalionis* Romae A. 1597. emiſſam in publicum. Ac *Fabricius* quidem in *Supplementis ad Bibliothecae Latinae paginam 681.* teſtatur, eam in 4. prodiiſſe. At errare eum, quod ad formam libri attinet, teſtem habeo oculatum *Sigebertum Hauercampum*, Graecarum literarum in Academia Batauorum Lugdunenſi Profeſſorem, nuper illuſtre adeptum nomen diligentiſſima editione *Apologetici Tertullia-*

ni. Is enim per literas docuit, ſe in manibus habere illam Romae A. 1597. factam editionem, eamque in *duodecimo*, vt vulgo loquuntur, exſcriptam eſſe. Illud vero facile eſt colligere, quod *Caſtalio* primae ſuae editioni nulla adiunxerit ſcholia. Cum enim in iis Pithoeanae ſubinde mentionem faciat editionis, quae A. 1590. prodiit, ſequitur, recentiora hoc anno eſſe ſcholia *Caſtalionis.*

XXXIV.

Caſtalionis ex editione *Sympoſium* ac *ſcholia* in Batauia recudenda ſuoque *Phaedro* adiungenda curauit Lugduni *Conr. Rittershuſius*, idque A. 1598. in 8. Teſtem huius rei ſequor *Io. Alb. Fabricium*, virum praeclariſſimum, qui & (r) addit, repetitam eſſe hanc editionem auſpiciis *Ioannis Meurſii* Antuerpiae A. 1610. in 8. In eo tamen lapſus eſt, quod *Antuerpiam* nominauit pro *Lugduno*. Lugduni enim in Batauis officinam habuit ſuam *Plantini* gener, *Raphelengius*. En verum operis titulum, ob oculos mihi verſantis: *Phaedri libri V. Ioannes Meurſius poſt Pithoeum, Rittershuſium, Schoppium, Rigaltium denuo recenſuit & Animaduerſiones addidit. Ex officina Plantiniana Raphelengii* clↄ. Iↄ. CX. Hic igitur *Sympoſii*

(r) *Bibl. Lat. lib. II. cap. 3. §. 3. p. 318.*

poſii aenigmata vna cum ſcholiis *Caſtalionis* ſubnexuit *Meurſius*, nulla tamen ſua annotatione adiuncta, niſi quod p. 46. & 47. de his aenigmatis non nihil diſſerit, quod huc omne tranſcribo. *AEnigmata Sympoſii*, inquit p. 47. *omnino probamus: quamuis Lilius Gyraldus libello ſuo* de aenigmatibus *parui ea facere videatur, cum ab amico ſibi aliquot nullius momenti tradita ſcribit, quorum vnum tantummodo recitat, tacito auctoris nomine*, de ſomno. *Eſt autem id Sympoſii noſtri. De hoc* (s) *is, qui nuper* Epigrammata *& Poëmatia edidit, his ſcribit verbis:* SYMPHOSII, qui & Sympoſius in quibusdam exemplaribus ſcribitur, meminit Sigebertus Gemmelacenſis de Aldhelmo Scoto loquens. Hactenus *Meurſius*, qui nihil praeterea affert de *Sympoſio* noſtro.

XXXV.

Non omittenda hic eſt, quae iam ante Meurſianam prodierat, editio *Sympoſii* iuxtaque notarum *Caſtalionis* Duacenſis: Equidem eam non vidi: at video, in *Catalogo Bibliothecae Thuanae* (t) produci *AEnigmata veterum & recentium, cum notis Ioſephi Caſtalionis in Sympoſii AEnigmata, Duaci 1604. in 8.* Ex eo tempore celebris ille Ieſuita, Nico-

(s) *Pithoeum* innuit.

(t) *T. II. p. 256. edit. Hamburg.*

Nicolaus Cauſinus, libro ſuo, quem *Symbolicam AEgyptiorum ſapientiam* inſcripſit, inſeruit *aenigmata Sympoſii*, ſed nihil animaduerſionum ſcholiorumue adiiciens. Ac in editione quidem Colonienſi A. 1654. in 8. aenigmata illa (u) exhibentur a p. 138. vsque ad p. 150. ſatis quidem mendoſe, vt tamen appareat, *Cauſinum* expreſſam voluiſſe editionem *Caſtalionis*. Vt vnum ſaltim alterumque proferam exemplum, trigeſimi aenigmatis titulus ibi eſt *Piſcator & piſciculi*. Debebat ſcribi *pediculi*, & ita recte titulus iſte exhibetur in praemiſſo ibidem Indice alphabetico aenigmatum Sympoſii. AEnigmate XCVIII. 1. exſtat *ſacra relinquo*; IV. 2. *claudo*; LXIII. 3. (x) *tumet*; XCV. 3. *quo*.

XXXVI.

Poſtea *Chriſtianus Iunckerus*, amicus quondam meus ac συνεργὸς deſideratiſſimus, A. 1700. *Phaedro* in 12. cum grammaticis notis Lipſiae edito adiunxit *Sympoſii AEnigmata*, editionem ſecutus Meurſianam: id quod vel ex eo apparet, quod & *Meurſii* ad lectorem *de Sympoſio Alloquium* praemiſit illis aenigmatibus. Ex

(u) *Eadem exſtare comperi in Cauſiniani operis editione Colon. 1623. in 8. & in edit. Pariſ. 1647. in 4.*
(x) *Hanc eandem lectionem habet Meurſiana editio.*

Ex *Iunckeri* editione deſcripſit eadem accurate ſuoque *Phaedro* ſubiunxit Cl. vir, *Io. Georgius Walchius*, Profeſſor nunc Ienenſis, Lipſiae A. 1713. in 12. Sed nec *Iunckerus* nec *Walchius* aut emendauit quicquam aut illuſtravit, ſola aenigmata ex priori editione exhibuiſſe contenti.

XXXVII.

Tres igitur, ſi accurate loqui libet, adhuc habuimus editiones illorum aenigmatum, *Perionii*, *Caſtalionis*, & *Pithoei*, qui ſinguli ſingulos MSS. codices expreſſerunt. Quarta tamen; ſed ea imperfecta, his adiungenda eſt, pariter e codice MS. deſcripta, quam ſupra meminimus, editio *Camerarii*. Caeteri editores nullo vſi libro manu exarato triumuirorum illorum editiones novis tantum typis excudendas curaverunt.

XXXVII.

Non eſt hic praetermittenda mentio verſionum horum aenigmatum, quae quidem cognoſcere videreque mihi licuit. Ac Graecos quidem in verſus eleganter aliquot *Sympoſii* aenigmata traduxit *Ioachimus* ille *Camerarius*, quae & ipſa *AEnigmatographiae* inſeruit ſuae *Reuſnerus* a p. 256. vsque ad p. 260. Germanicam vero, eamque metricam, eorum verſionem inuita certe quidem Minerua, A.

1712. in 8. Eiſenbergae vna cum metrica Phaedri fabularum verſione edidit neſcio quis adſcito *Melandri* nomine, eamque *Gottfrido Ludouico* & *Chriſtiano Iunckero*, viris clariſſimis, ſuis antea in Gymnaſio Schleuſingenſi praeceptoribus, dedicauit. Ex ea verſione lectoribus meis duo ſufficient exempla, aenigma 97. & 98.

ECHO.

Ich bin ein Jungfern-Bild, die ſich zu ſehr
beſcheidet,
Und das Geſetz der Scham nur gar zu wohl
bewahrt:
Ich bin nicht freches Munds, noch ſo verwe-
gner Art,
Daß ich frey reden mag, als die nur Ant-
wort leidet.

SOMNVS.

Ich komme von mir ſelbſt, der viele Bilder
zeiget,
Ich bilde manchem Furcht, Gefahr und
Schrecken ein,
Obgleich die Sachen nicht ſo gar gefährlich
ſeyn,
Doch ſieht mich niemand, als wer ſeine Au-
gen neiget.

XXXIX.

Recenſui iam pleraſque omnes *Sympoſii poëtae* editiones. Ita enim horum aenigmatum auctorem vniuerſi adhuc appellarunt, ſolo excepto *Barthio*, qui, ſi mens non laeua fuiſſet, ante me docere doctos potuit, *Sympoſium* libri titulum eſſe, non poëtae nomen. Narrat enim primo capite libri quinquageſimi octaui ſuorum *Aduerſariorum*, ſe aliquando ſuſpicatum eſſe, *Sympoſium* non eſſe poëtae, ſed totius libri titulum. Sed (ita praecipiti addit iudicio,) *eam dubitationem eximere debet ipſe poëta, in Praefatione de ſe ſcribens hoc pacto:* Haec quoque Sympoſius, caetera. Non dubito, ſi *Barthius* ſuae coniecturae indulſiſſet, breui futurum fuiſſe, vt longius progreſſus aut ipſe aut alius vir eruditus tandem auctorem agnoſceret *Lactantium.* Verum, ſecure codicibus monachorum crediderunt viri doctiſſimi, *Sympoſium* eſſe poëtae nomen, coecasque fecerunt tum de aetate, tum de religione eius, coniecturas. Ipſe ille *Barthius* in *Indice* primo *Aduerſariis* ſuis annexo, itemque in Indice tertio, *Sympoſium* illum refert inter ſcriptores ethnicos: at in quarto Indice eum inter Chriſtianos numerat αὐτοκατάκριτος. In antiquiſſimo codice MS. Anglicano, quo ego

ſum vſus, ad nomen *Simphoſii*, verſu primo Praefationis aenigmatum exſtantis, vetuſta manus adſcripſerat: *vir gentilis.* Ac facile credo, nec *Guil. Caueo* poëtam iſtum pro Chriſtiano habitum fuiſſe, alias eius facturo mentionem in *Hiſtoria* ſua *literaria ſcriptorum eccleſiaſticorum. Bernardus Pezius*, Benedictinorum ſodalium in Germania doctiſſimus, in Praefatione ſua ad *Anonymi Mellicenſis*, quem vocat, libellum *de ſcriptoribus eccleſiaſticis* (y) *Sympoſium* poëtam connumerat inter *ſcriptores eruditis viris adhuc fere ignotos.* Imo prorſus eum ignotum fuiſſe *Pezio*, docet eius ad iſtius Anonymi caput LXXIII. (z) annotatio. In ea namque *Sympoſium* (corruptius appellat *Symphroſium*) vocat *ſcriptorem aetatis incertae.* Fuit etiam, qui pſeudonymo illi poëtae *Sympoſio* patriam tribueret Galliam. Eſt is *Miraeus*, qui in libro *de ſcriptoribus ſaeculi XVI.* (a) commemorat *aenigmata Sympoſii Galli.* Scilicet editus primum iterumque in Gallia fuerat a *Perionio* atque *Pithoeo*, imo iam ante hos a *Nobleto, Sympoſius:* idque ipſum, ni fallor, errandi occaſionem *Miraeo* praebuit. XL.

(y) *Pag. 422. ſq.*
(z) *Pag. 471. edit. Aug. Vindel. 1716. in 8.*
(a) *Pag. 307. edit. Fabricii.*

XL.

Verum ſatis perſpicue iam ſupra oſtendiſſe videor, poëtam *Sympoſium* nullum fuiſſe, ſed auctorem libro huic ſuo indidiſſe titulum *Sympoſii*. Non tamen me pigebit, hoc loco circumſpicere communis erroris originem & vera, vt ita dixerim, cunabula. Venerunt hic mihi omnes ingenii neruos intendenti plura in mentem. Sed praeteritis ludibrioque ſubductis coniecturis iis, quae ne mihi quidem ſe probarunt, vnam adduco, quam nemo iure repudiauerit, niſi qui aliam excogitarit veri ſimiliorem. Crediderim itaque, verum huius libelli hunc fuiſſe titulum: *Caecilii Firmiani Sympoſiaca aenigmata*; eumque caſu neſcio quo hunc in modum fuiſſe corruptum: *Caec. Firmiani Sympoſii aenigmata.* Sic *Gellius* in titulo libri VI. capitis XIII. quaeſtiones in conuiuio agitatas appellat *ſympoſiacas*; & in titulo capitis vndecimi libri XVII. commemorat *Plutarchi libros ſympoſiacos.* Qui locus eo magis notatu dignus videtur, quod, vt poëta noſter in multis MSS. codicibus vocatur *Symphoſius*, ſic & in ea *Gellii* editione, quae ex *Ioannis Connelli* recenſione ſub initium ſaeculi XVI. non adſcripto anno prodiit, quamque in ma-

nibus habeo, pro *ſympoſiacos* exhibetur *ſymphoſiacos*.

XLI.

Ne vero oleum videar atque operam perdidiſſe producens denuo in lucem haec aenigmata, & quanto potui ſtudio emendata atque illuſtrata exhibens, eruditorum de iis iudicia proferam, eo pluris facienda, quod ea veri auctoris aeuique conſcientia non potuit corrumpere. Si enim *Lactantii* hunc eſſe foetum ſciuiſſent, haud dubie magnificentius multo collaudaſſent noſtrum hoc *Sympoſium*. Principe loco audiendus eſt *Perionius*, princeps horum aenigmatum editor. Sed ſupra iam (b) effuſas eius laudes audiuimus, nec libet verba ipſius, facile ſuo loco repetenda, iterum adſcribere. Nec iuuat *Caſtalionis* ac *Meurſii* ſententiam, ſupra pariter iam commemoratam, reducere in ſcenam. Prodeat *Caſpar Barthius*, qui in *Aduerſariis* ſuis modo (c) *egregia ſane aenigmata* vocat, modo (d) *elegantia & Latina, numeris etiam felicibus conſcripta.* Idem *Sympoſium*, quem inueterato errore nomi-

(b) §. *28.*

(c) *Lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

(d) *Lib. XIX. cap. 14. p. 989.*

nominat, *poëtam* appellat (e) *bonum*, *poëtam* (f) *ingenio praeſtantem*, *poëtam* (g) *acutum & ſuauem*. *Voſſius* (h) aenigmata haec *non inuenuſta* eſſe pronuntiat, ſimulque *Gyraldum* reprehendit, libro *de aenigmatibus* (i) iudicantem, eſſe aenigmatum illorum nonnulla *frigidiuſcula*. Soli igitur *Gyraldo* fraudi fuit veri auctoris ignoratio. Caeteri omnes tam benignis hoc *Sympoſium* excepere iudiciis, vt ne ipſe quidem *Lactantius* aequiora ſperaſſe videatur de primo hoc ingenii ſui experimento.

XLII.

Fauorabiles quoque ſe quidam *Sympoſio* noſtro praebuerunt hoc ipſo, dum annotationes ei adſcribere & quascunque ei tenebras abſtergere dignati ſunt. Primus id laboris in ſe ſuſcepit *Ioſephus Caſtalio*, ſed ita eo defunctus, vt appareat, eum non ſatis meditate ſcripſiſſe, ac ſcholia ſua effudiſſe verius, quam elucubraſſe. Affert idem ἀπροσδιόνυσα non pauca, complura contra intacta omittens, quae nonnulla ſcholiorum luce perfundenda omnino erant.

XLIII.

(e) *Lib. XXVII. cap. 1. p. 1284.*
(f) *Lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*
(g) *Lib. XLII. cap. 23. p. 1915.*
(h) *Lib. de poëtis Latinis p. 86.*
(i) *Pag. 51. edit. Reuſnerianae.*

XLIII.

Alter ad illuſtrandum hoc Sympoſium ſeſe accinxit *Caſpar Barthius*, diuerſis *Aduerſariorum* ſuorum locis modo emendare id agreſſus, modo explanare. Ac fatendum eſt mihi, poſteriori conatu eum non male de lectoribus meritum eſſe nec famae ſuae inique conſuluiſſe. Verum emendationes ipſi ſucceſſerunt minus feliciter, adeoque confirmant ſententiam (k) eruditorum, plura a *Barthio* in priſcis ſcriptoribus corrupta, quam correcta eſſe,

(k) *Eſſe* Barthium *in emendando temerarium, cenſet Morhofius Polybiſt. lit. lib. V. cap. 1. §. 10. ad quem locum relege hypomnema Cl. Molleri. Paulus Colomeſius in notis ad Quintilianum p. 378. Barthium vocat* virum multae quidem lectionis, ſed naris haud prorſus emunctae. Audaces *quoque eius* coniecturas criticas *grauiter notauit Reineſius in epiſtola quadam, quam Baelius producit Diction. v.* Barthius *not. R. Ipſemet in Parergis criticis p. 127. indicaui, peſſime de Curtio meritum eſſe Barthium emendationibus ſuis, eiusque pleraque omnia, quae notarit, loca non correxiſſe, ſed foede corrupiſſe. Pari modo Anonymus quidam, cuius notae ad* Auſonii Cupidinem cruci affixum *vna cum Barthii aliorumque notis A. 1712. Hagae Comitum recuſae fuerunt, (vid. Clerici* Bibl. choiſie *T. XXIV. p. 219. & 231.) oſtendit luculenter, vix vnquam dextre collineaſſe ſuis emendationibus Barthium. Sic Cotelerius annot. ad* Hermae Paſtorem *p. 775. (editionis Fabricianae) Barthium non veretur*

eſſe, cenſentium. Defuit enim profecto *Barthio* acrimonia iudicii, quae primas tenet in arte critica. Scilicet Barthianum illud Opus titulum *Aduerſariorum* tueri poteſt haud dubie. Continet quippe vtiliſſimas animaduerſiones e diffuſioris lectionis penu depromtas. Aſt *critici operis* menſuram haud ſane implet, ſed potius probat innumeris argumentis, longisſime *Barthium* abeſſe a gloria magni Oedipi, nec niſi mediocres inter criticos, magnos tamen inter philologos ac polyhiſtores, eſſe referendum.

XLIV.

Tertius, qui illuſtrare conatus eſt *Sympoſium* noſtrum, *Fridericus Beſſelius* eſt, is, cuius ad *Eginharti Vitam Caroli M.* annotationes (l) exſtant diligentisſime congeſtae. Eiusdem ad *Sympoſium* noſtrum notas MSS. a Cl. *Beyero* Regiomonto Lipſiam trans-

tur appellare Criticum minorum gentium, *imo p. 798. queritur*, Barthium tenere vbique inſatiabile curandi loca ſana cacoethes. *Agmen claudat, qui principe dignus erat loco, Rich. Bentleius. Is in ſuis ad* Horatium *commentariis p. 79. facile quidem Barthio concedit laudem πολυαναγνωσίας, at,* cum ad iudicium res deueniunt, *inquit*, breui ſane arcu plerumque iaculatur, neque ad ſcopum pertingit.

(l) *Poſtrema editio prodiit A. 1711. recenſita eodem anno in Actis Erudit. p. 529.*

tranſmiſſas humaniter mecum communicauit Cl. *Krauſius*. Verum nec ille multum praeſtitit, imo ne *Caſtalioni* quidem *Barthio*ue poteſt aequiparari. Adeo & pauca & leuia ſunt, quae annotauit ipſe: caetera omnia e *Caſtalionis* ſcholiis excerpſit, nec id diffitetur in praefatiuncula: *Potiſſimas*, inquiens, *ex notis Caſtalionis excerpſimus, quas hic ſubiicere viſum eſt, ſed interpolatas*. Quod cum ita ſit, merito ſuſpicor, non eo conſilio annotationes iſtas a *Beſſelio* conſcriptas eſſe, vt eas typis vulgaret, ſed vt diſcipulorum tantummodo commodo conſuleret, quorum in gratiam *Sympoſium* illud viua voce interpretatus, eisque *Caſtalionis* notas non amplius in officinis venales in calamum dictitare coactus eſſe, atque hanc occaſionem habuiſſe videtur, etiam de ſuo non nihil inſpergendi. Interim ne quis de re ignota, vt fieri ſolet, magnificentius iuſto iudicet, *Beſſelianas* notas, omiſſis iis, quas e *Caſtalione* deſcripſit, infra vna cum *Barthii* & *Caſtalionis* animaduerſionibus exhibeo.

XLV.

Digna vero erant omnino haec ſympoſiaca aenigmata, quae non perfunctorie, ſed ſumma diligentia & a librariorum mendis liberarentur, & grammaticis pariter

riter ac hiſtoricis explicationibus illuſtrarentur. Dignus item hic libellus erat, qui & auctori ſuo & ſaeculo non barbaro tandem rurſus aſſereretur, atque in cenſum reciperetur librorum claſſicorum. Siue enim dicendi genus ſpectes, eſt illud, vt ſupra iam dixi, ac non ita multo poſt luculento *Perionii* ſuffragio comprobaui, omnis elegantiae pleniſſimum; ſiue acumen argutiarum, quouis pignore contendo, ne vnum quidem, eſſe inter haec aenigmata, quod elegantiſſimo *Lactantii* ingenio cenſeri mereatur indignum. Eſt enim aenigma non aliud, quam ingenioſa deſcriptio, qua res veriſſima ac notisſima conuertitur in ignotam & fabulae ſimillimam. Feſtiuisſimum genus aenigmatum eſt, cum res vel notisſima, vel certe adeo cognitu facilis, vt omnium oculis ſit expoſita, tam ingenioſo circumdatur velamine, vt nonſolum (m) ignotisſima, ſed prorſus ἀδύνατος videatur: cuius generis eſt in *Sympoſio* noſtro nonageſimum quartum. Non iam libet pluribus explicare (n) naturam aenigma-

(m) *Vnde Auſonius Epiſt. IV. v. 65. aenigmata vocat* myſteria.

(n) *De natura aenigmatum agit Glaſſius Philologiae ſuae lib. V. Tract. I. cap. 22. & Voſſius Inſtit. orat. lib. IV. cap. XI. §. 5.*

nigmatum ac varietatem, item (o) antiquitatem: ne digreſſionibus ſuperuacuis extendere videar praefationem, quam iam ſatis longam fecit earum rerum commemoratio, quae praetereuntem me vel leuius tractantem iure reprehenſurus erat lector cenſorius.

XLVI.

Illud vero diſcrimen horum, quae *Sympoſium* exhibet, aenigmatum omittere non debeo, quod alia iam olim in vulgus nota, adeoque a Lactantio non excogitata, ſed tantum in verſus redacta fuiſſe videntur; alia ipſius auctoris ingenio feliciter efficta. Ac poſterioris quidem generis perpauca ſint neceſſe eſt, cum in adoleſcentia haec ſcripſerit *Lactantius*, quo aetatis tractu nondum ſua conſtat ingenio maturitas plenaque foecunditas. Certe de trigeſimo aenigmate ne dubitari

(o) *Habemus aenigma de pediculis in Vita Homeri; aenigma Cleobuli apud Diog. Laërtium lib. I. §. 91; Virgilii duo ecl. III. 104. ſqq. Habemus in ſacris monumentis mentionem aenigmatum Simſonis & Salomonis. Etiam Gellius elegans aenigma, quod* perantiquum *appellat, exhibet lib. XII. cap. 6. idque explicauit Politianus Miſcell. cap. 36. Multa quoque de griphis conuiualibus legere, ſi libet, licet in Athenaei libro X. & in Caſauboni Animaduerſionibus in eius libri capita 15. 16. 17. 18; 19. 20. & 21.*

tari quidem poteſt, id eſſe multo vetuſtius Lactantio. Caeterorum quoque complura iam vulgo nota fuiſſe, e. g. 14. 16. 31. 44. per ſe magnam habet veri ſpeciem. Cumque horum aenigmatum quaedam ſint admodum perſpicua, alia non item, prius eorum genus non temere credo fuiſſe iam antea notum plerisque omnibus, e. g. 1. 4. 9. 10. 12. 18. 22. 28. 33. 34. 35. 37. 54. Sequitur hinc, vt duas rurſus haec aenigmata diuidamus in claſſes, quarum altera vulgaria ſiue plebeia complectatur, altera erudita atque cultioris ingenii. Vbi ſtatim quaeri poteſt, vtri claſſi aenigma XCIV. adſcribendum ſit. Ac fuerunt, quemadmodum infra videbimus ſuo loco, viri doctisſimi, qui poſteriorem in claſſem id referrent. Ego vero in priorem refero, id eſt, inter ea aenigmata, quae Lactantii aeuo lippis & tonſoribus, nuptis innuptisque puellis, nota erant omnibus. Ad erudita vt redeam aenigmata, inter haec locum vtique ſuum merentur ea, quae homonymiam vocis occultant, e. g. 2. 32. 42. 82. Quod ſi quis ex me quaerat, quodnam horum aenigmatum vnum omnium ſit elegantisſimum, quanquam difficillima eſt eiusmodi *σύγκρισις*, ac praeter modo dicta etiam doctisſime atque elegantisſi-

E me

me argutisſimeque efficta ſunt, quae locum tenent 11. 78. 89. 91. tamen ſingulis inter ſe non negligenter collatis, ſaluo quidem acutius cernentium iudicio, ſtatuere non vereor, omnium exaſciatisſimum atque optimum horum aenigmatum, ac pretioſiſſimum velut ferculum huius Sympoſii eſſe, illud de *perna*, quod locum occupauit octogeſimum tertium.

XLVII.

Haec igitur aenigmata & ego ex eo tempore, quo εὕρηκα, *Lactantium* eorum eſſe conditorem, illuſtranda ſuſcepi, & quam perfectiſſimam eorum editionem molitus ſum: de qua antequam plura proloquor, prius eorum mihi conciliare conabor gratiam, qui Catoniano quodam vultu hoc Sympoſium intuiti, id vero indignum eſſe clamabunt, cui operae quicquam dicetur ab homine maſculis ſtudiis dedito. Fateri inquient ipſum (p) *Auſonium, nugas* has eſſe & *myſteria friuola*. Dixiſſe addent ipſum (q) *Gellium*, eſſe has *ſubtilitates ludicras*. Fortaſſe etiam audebunt opponere nobis Paulum apoſtolum, ab eoque (r) hanc ipſam εὐτραπελίαν Chriſtianis

(p) *Epiſt. IV. 65.*
(q) *Lib. VI. cap. 13.*
(r) *Epheſ. V, 4.*

ſtianis eſſe interdictam, contracta fronte pronuntiabunt. Enimuero cum ne Salomonem quidem, virum ſapientia eminentiſſimum, dedecuerit, aenigmatibus ſuum aliorumque otium oblectare, nec nobis vitio dari debet, quod legimus ac relegimus non ſine voluptatis ſenſu docta haec Lactantii aenigmata. Nec Adelmo viſum eſt a ſacra perſona alienum, complura non inelegantibus deſcribere verſibus aenigmata. Cuius inſtitiſſe veſtigiis medio illo, quod vulgo vocant, aeuo non ita longe ab Adelmi temporibus remotum *Thomam* quendam, libri ſingularis AEnigmatum ſcriptorem, *Sigebertus Gemblacenſis* (s) me docuit: qui idem ex eodem aeuo *Egeberti* cuiusdam (t) meminit, ſcriptoris *ruſticanorum aenigmatum*, quem *Eckebertum* vocauit, ſaeculoque XI. vixiſſe teſtatus eſt (u) *Trithemius*. Atque vt omittam, non parum optimae Latinitatis ex Sympoſio noſtro haurire poſſe lectores, vel ob id dignus eſt hic libellus, qui ſapientium verſetur manibus, quod auctorem habet Lactantium, quem ſermonis nitorem & pietatis ſtudium aequis paſſi-

(s) *De ſcript. eccl. cap. 133.*

(t) *Cap. 146.*

(u) *Lib. de ſcript. eccleſ. cap. 330.*

paſſibus fuiſſe ſectatum, ipſius monumenta ſole clariora loquuntur. Porro cum animo noſtro non minus, quam corpori, ſubinde opus ſit remiſſione ac relaxatione quadam, qua, quaeſo, in re is excuſatius conquieſcet, quam in lectione luſuum tam honeſtorum tamque liberalium? Et *quis tandem me reprehendat*, (*Ciceronis* vtor verbis ex *Oratione pro Archia poëta* (x) depromtis,) *aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi, quantum caeteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis, conceditur temporis; quantum alii tribuunt tempeſtiuis CONVIVIIS, quantum denique aleae, quantum pilae; tantum mihi egomet ad haec* aenigmata *recolenda,* ad hoc Lactantii CONVIVIVM recognoſcendum, illuſtrandum, emendandum, *ſumſero?* Denique quicunque moleſtus eſſe mihi ob operam huic Sympoſio nauatam voluerit, is illud *Plinii* velim (y) clementer audiat: *Demus alienis oblectationibus veniam, vt noſtris impetremus.*

XLVIII.

Supereſt, vt exponam, quid in hac mea *Sympoſii* editione elaborarim, quibusque

(x) *Cap. VI.*
(y) *Lib. IX. epiſt. 17.*

buſque ſim vſus adminiculis. Ac duo quidem mihi propoſui, primo vt *Criticum* agerem, elutiſque mendis ſuam verbis integritatem ſinceritatemque reſtituerem; deinde vt *interpretis* munus explerem, cum, quae vera mens cuiuſque ſit aenigmatis, quidque docto illo inuolucro contineatur, oſtendens, tum verum verborum ſenſum inueſtigans, &, quid acuminis iis ſubſit, manifeſtans. Ac ad criticam quidem curam quod attinet, ea hic maxime opus erat, quod Critici ſuperioris aeui Sympoſium illud prorſus neglexerant: quibus quidem propterea ignoſco, quod rati, auctorem eius ſaeculo aliquo barbaro inter ſordidas vixiſſe monachos, non crediderunt operae ſe facturos pretium, ſi multum temporis conſumerent eo emaculando. Ac ſane vulgata eum in modum adhuc ſunt aenigmata haec pleraque, vt Sympoſium hoc maxima ex parte haberi mereatur pro libro nondum edito. Adeo corrupte peruerſeque edita ſunt. Vnde ſpero, me a doctiſſimo quoque non nihil gratiae initurum, qui, vt emendatiora haberemus haec aenigmata, ſummis viribus anniſus ſum. Illos vero, *qui, emendato an inemendato libro vtantur, ſua nihil putant intereſſe, plane ridiculos cenſeri debere*, facile aſſentior *Io. Baptiſtae*

(z) *Maro, cum certe*, (ita cum ipſo pergo,) *ſi deprauatis vtimur codicibus, nihil aliud ſuperſit, niſi vt Ixioni ſimiles umbram pro re, errorem pro ſcientia, amplectamur.*

XLIX.

Atque initio ſolius ſecutus ingenii ductum non paucos detexi naeuos, quo hunc libellum deturparat librariorum partim imperitia, partim negligentia: inter quas emendationes ſunt, quas deinceps vidi confirmari liquidiſſimâ MSS. codicum ſcriptura. Hinc adii variantes lectiones, quas reperit *Perionius*, *Camerarius*, *Pithoeus*, *Caſtalio*, ſuis quisque MSS. in codicibus: earumque ope partim meas medelas reddidi certiores, partim noua retexi vulnera, ad eaque ſananda omnem curam & cogitationem contuli. Forte inter haec accidebat, vt *Theodorus Haſaeus* quem ſupra iam honorifice memini, conſultis MSS. codicum Catalogis me edoceret, latere aliquot codices *Sympoſii* huius MSS. partim Lugduni Batauorum, partim in Anglia. Nec iſta humanitate contentus vir optimus optimeque de optimis merens literis ſtatim ſimul recipiebat, ſe ad amicum quendam in Batauiam ſcriptu-

(z) *In Praef. ad Petri Diaconi librum de viris illuſtribus Caſinenſibus.*

ſcripturum, eumque rogaturum, vt ad me transmittat accuratiſſime deſcripta variantia codicum Lugdunenſium loca. Occaſionem vero cum circumſpicerem nanciſcendi varias, quas vulgo vocamus, lectiones ex Anglia, fauente & hic mihi fortuna factum eſt, vt ſuperiore anno, cum Hanouerae verſarer, beneuole me conueniret ſuamque mihi offerret amicitiam vir doctiſſimus, *Io. Georgius Keyslerus*, Regiae Societatis Anglicanae Collega dignisſimus, cuius eruditisſimum opus *Selectarum Antiquitatum Celticarum* nuper non mediocri exceptum eſt has literas amantium applauſu. Is igitur cum narraret, ſe Londini ſatis diu verſatum commodisſimis gauiſum eſſe occaſionibus in plurium eruditorum amicitiam ſe inſinuandi, ſine mora rogatus a me eſt, vt ad illorum quempiam ſcriberet, ab eoque ſummis contenderet precibus, vt, quicquid Londini vel alibi eſſet MSS. codicum, meo ſumtu quam ſcitisſime deſcribendum curaret & quamprimum transmitteret. Is & pollicitus eſt operam ſuam perhumaniter, & feliciter paulo poſt impetrauit a *Ioanne Chamberlaynio*, Armigero, viro humanitatis non minus, quam eruditionis, eximia laude florenti, vt ipſi res iſta curae eſſet. Atque ita factum eſt,

vt tria codicum ex Anglia acciperem apographa *Sympoſii*. Breui poſt tempore etiam *Haſaeus* mihi transmiſit variantes lectiones duorum MSS. codicum bibliothecae Lugdunenſis, quas rogatu ipſius ſumma attentione & induſtria inde excerpſerat *Hauercampus*, vir clariſſimus ac ſupra iam ſuo mihi merito laudatus, iterumque nunc laudandus ob praeſtitam mihi ſingularis humanitatis beneuolentiam.

L.

Nactus igitur quinque MSS. codicum lectiones, coepi non eas ſolum adſcribere ad editionem *Sympoſii* (a) Walchianam, quippe quae prima venerat in manus meas, ſed & aliunde congerere lectiones variantes. Has ſumma fide ſtudioque exhibeo in hac mea editione ſingulis ſubiectas aenigmatibus, & ſiglis diſtinctas, quarum ſignificatum hic explicare debeo. Scilicet literae *A. B. C.* ſignant Codices Anglicanos, & prima quidem pri-

(a) *Sciant igitur lectores, variantes lectiones, quas ſubiecì ſingulis aenigmatibus, vulgatam reſpicere editionem, hoc eſt, Iunckerianam vel Walchianam. Et hanc in annotationibus reſpicio meis, quoties vſurpo illud:* Vulgatum *vel* Editum erat. *Mearum enim putaui eſſe partium, non corruptum textum exhibere, ſed correctum.*

primum, ſecunda ſecundum, tertia tertium; *D.* codicem Lugdunenſem priorem, & *E.* poſteriorem; *P.* codicem Pithoei. *Cam.* codicem Camerarii, *Per.* codicem Perionii. Tandem cum & gloſſae codicibus duobus Anglicanis prioribus adſcriptae nonnunquam vſui mihi fuerint, ac praeterea in Cauſini editione nonnullas deprehenderim variationes quas non plane putabam negligendas, has quidem per notam *Cauſ.* illas per *gl.* ſignificatas volo.

LI.

Sed haud dubie ſpem lectorum meorum expleuero, ſi codicum illorum ſingulorum luculentiorem exhibuero deſcriptionem. Sciant itaque, inter illos codices optimum eſſe Anglicanum primum, in Bibliotheca Regia, quae Weſtmonaſterii aſſeruatur, ita ſignatum: *E.593.* Is ante octingentos annos exaratus eſſe creditur, & exaratus profecto eſt multo accuratius caeteris, adſcriptaeque ſunt ei gloſſae a grammatico quopiam haud indocto. Ordo quidem aenigmatum in primo hoc & in ſecundo, de quo mox dicam, codice interdum differt ab ordine vulgato, ſed raro. Alter Angliae Codex, qui in eadem regia bibliotheca exſtat ſic inſcriptus: *E. 919.* eodem, quo

prior, ſaeculo ſcriptus eſſe creditur, &c, licet non aequet prioris illius bonitatem, non tamen meretur prorſus malis aggregari codicibus. Mutilus autem eſt iſte codex, in eoque priora triginta nouem aenigmata deſiderantur. Tertius Anglicanus codex, qui in bibliotheca Cottoniana aſſeruatur, trecentorum circiter annorum eſt, ac fere conuenit cum editione *Sympoſii* typographica, qua vſus ego ſum. Caeterum admodum indiligenter is ſcriptus eſt, & multa habet vitia, quae ſcribae vel imperitiam coarguunt vel nimiam negligentiam.

LII.

Venio ad Lugdunenſis Academiae codices, quorum prior in forma quarta, quam vocant, eſt perſcriptus, poſterior in octaua ſiue octuplicata. Et hunc quidem *valde veterem* eſſe, teſtis mihi eſt Cl. *Hauercampus.* Caeterum vtrumque codicem in iſtam bibliothecam delatum fuiſſe e bibliotheca *Iſaaci Voſſii*, ideo non dubito, quod in Catalogo codicum MSS. eius, quem adornatum habemus a *Colomeſio*, duplex *Sympoſii* aenigmatum codex exſtat, & prior quidem *num. 294.* inter codices Latinos, poſterior *num. 319.* Vterque horum codicum corruptiſſime ſcriptus, non tam variantes exhibet lectiones,

quam

tam manifeſta librariorum errata. Tamen & hoc e ſterquilinio non nihil auri uere potui. Adeo nullus liber vetus tam luteus eſt, vt non ſubinde optii metalli aliquid in illo luto reperiatur. eganter *Michaël Thomaſius* in penultima igina ſuarum ad *Lactantii* Opera notam de codice quodam: *Eſt*, inquit, *ille dex valde corruptus. Tamen is eſt, qui eum uare poſſit, qui eo cum iudicio vtatur. Et ſaſic faciendum eſt eis, qui hanc curam emenındi veterum auctorum libros ſuſcipiunt, vt epe ex pluribus malis codicibus vnicum optium efficiant.* Poſſum igitur *Iani Gulielmi* (b) verba hic facere mea: *Vſus ſum peruetuo libro, deſcripto quidem eo vitioſiſſime, ex cuis tamen veſtigiis multa bonae lectionis veluti eſtigia ſagaciter odoranti ſeſe offerunt.* Veiſſimum eſt enim, quod ſummus ille criicus, *Io. Frid. Gronouius*, iudicat in *Monobilo* (c) *ad ſcriptores eccleſiaſticos, eſſe quidem nembranis haerere tutiſſimum; tamen, ſi quid llae aſperi & ſcabri & ſenticoſi exhibeant, ex o veram ſcripturam vt eliciamus, operam danlam eſſe. Non ſunt enim* (ita pergit,) *codices intiqui ſine mendis etiam prodigioſis, & praelare nobiſcum agitur, cum ſigna ad ſalutem & veram*

(b) *Veriſimil. lib. III. cap. 14.*

(c) *Cap. VII. p. 72.*

veram auctoris manum ſatis plana ſunt ac certa. Reliquum mens diuina, plurimumque doctrinae ſtudium, & percognita ſcriptoris indoles ac natura praeſtabunt.

LIII.

Vti vero ex Anglicanis codicibus duobus prioribus non omnes exſcripſi gloſſas, ſed eas duntaxat, quae non videbantur nullius eſſe momenti; ſic nec omnes omnino ſcripturae diuerſitates inde & ex caeteris codicibus annotaui. Annotaui quidem plurimas, &, vt Terentiana vtar formula, *pleraſque omnes*, vt non ſit, quod meam induſtriam quisquam deſideret; ſed erant nonnulla vitia adeo turpia, eademque adeo manifeſta, vt non ſuſtinerem ea, quotiescunque occurrebant, inter varias lectiones adſcribere. Sic manifeſtiſſimo errore in cod. *A.* titulus aenigmatis XI. habebat *pluuio* pro *fluuio:* in codice *C.* erat aenigmate XL. 1. *incuſſum* pro *intus ſunt:* in codice *D.* v. 3. *nexu* pro *nec ſum;* XXXIV. 1. *malus* pro *maius;* XL. 1. *capud* pro *caput;* LVI. 2. *refulſa* pro *reuulſa;* LXXIX. 1. & LXXXVI. 1. *curbo* & *curba* pro *curuo* & *curua;* LXXXVIII. 2. *ancipitis* pro *ancipites.* Idem codex aenigm. XXXI. 1. commate non ſuo loco poſito ſic habebat: *Moechus eram, regis ſed,* caetera.

LIV.

LIV.

Duo adhuc ſunt, quae de codicibus illis monenda habeo. Primum enim in Lugdunenſibus, item in primo Codice Anglicano ſequitur *Adelmi* liber aenigmatum ſub hoc titulo: *Incipiunt capitula de enigmatibus* (d) *Aldhelmi.* In ſecundo autem Anglicanorum ſequebatur Epithalamium a S. Paulino dictum in Iulianum. Recordor hic, *Ioannem Lelandum* teſtari in *Collectaneis* ſuis, & quidem tomi tertii tribus (e) locis, ſaepius in bibliothecis Anglicanis reperiri eodem coniuncta volumine *aenigmata Aldelmi, Simpoſii, Euſebii, & Tautuni:* vbi quidem quis ſit *Euſebius* ille, quis *Tautunus*, ignorare me profiteor, niſi forte aenigmatographi illi duo, quorum ſupra (f) e *Sigeberto Gemblacenſi* facta mentio eſt, *Eckebertus* & *Thomas* transformati fuerunt alter in *Euſebium,* alter in *Tautunum.*

LV.

Deinde in codice *E*, qui ſecundus eſt Lugdunenſis bibliothecae, velut appendicis inſtar ſequebantur quinque alia aenigmata, eaque (en verba αὐτόπτȣ Cl. *Hauer-*

(d) *Vocatur enim &* Adelmus *&* Aldhelmus.
(e) *p. 154. 161. & 163.*
(f) §. 47.

Hauercampi !) valde minuto charactere deſcripta, vt oculos multum fatigauerit eorum lectio. Equidem ſuſpicor, deſumta ea eſſe ex *Egeberti* ſiue *Eckeberti* ſupra memoratis *aenigmatibus ruſticanis.* Certe huic coniecturae ſuffragantur tituli, & ipſe quoque ſtylus prodit hominem barbariore verſatum in ſaeculo. Sunt vero & haec admodum deprauate ſcripta. Videor tamen mihi priora quatuor non infeliciter perſanaſſe. Quintum, quod non potui totum reſtituere priſtinae ſanitati, emendandum relinquo ingenio acutiori. En ea, prout a me correcta debitisque inſtructa interpunctionibus ſunt, ſubiuncta & diuerſa MS. codicis ſcriptura, & tribus Cl. *Hauercampi* ſuſpicionibus.

I. FLABELLVM (g) PICTVM.

Amplificam faciem ſtricto (h) *ſub corpore geſto.*
Si replicas, pulchram cernes ſub tegmine formam.
Muſcas (i) *incurrens alieno* (k) *pello labore,*
Aurarumque ſimul gratiſſima flamina pando.

II. MA-

(g) *MS.* flauellum.
(h) *Id eſt, conſtricto.*
(i) *MS.* Muſcasque.
(k) *Id eſt, excitato vento.*

II. MACERIA.

Incenſis (l) *nobis hortos cinxere patentes,*
Poſtquam (m) *puluuream flammae fecere fauillam.*
Vna mihi facies, ſed plurima membra minuta.
Quae (n) *mihi dat vires, ſolet haec & ferre ruinam.*

III. BACVLVS, QVI MANIBVS TENETVR.

Firmo citos greſſus, manibus ſi firmor ab ipſis.
Si claudus fueris, ſaluum me ſemper habebis:
Si firmus pedibus, non ſic & (o) *carus habebor.*
Non te percutiet, quem non percuſſeris (p) *ipſe.*

IV.

(l) *MS.* Incenſi noſmet noſtri cinxere parentes. *Innuit auctor* ſtipites praeuſtos, *quos Virgilius vocat AEn. VII. 524.* igne duratos *Curtius III. 2. 16.*

(m) *MS.* P'q. *Cl.* Hauercampus *ſuſpicabatur, reſcribendum eſſe* plusquam.

(n) *Subaudi* flamma. *Haec enim ſtipitibus, quibus* maceria *nititur, vires dedit, id eſt, eos durauit. Eadem interitum afferre poteſt ac ſolet maceriae.*

(o) *Fortaſſe* ego *pro* et.

(p) *MS.* percuſſero ſi vis.

IV. IDEM. (q)

Sume tibi baculum, collem (r) *qui corpore* (s) *ſcandis,*
Ne ruat in pinguem ceruix inclina paludem,
Neue canis (t) *crura morſu diſcerpat amaro,*
Aut (u) *ſi inimica manus laeſit, laedatur ab ipſo.*

V. CVCVMIS.

Seminor; at (x) *ſemen cultor non ſuſcipit ex me,*
Praeſens & rodit, fructus ſed (y) *colligit abſens.*
Incultis cultisque locis mea ſemina ſpargo.
Sic fraudem facio, domino ſed plura miniſtro.

LVI.

Non placet praeterire ſilentio, quod *Dufreſnius* me docuit in *Indice Auctorum,* quem

(q) *MS.* Item.
(r) *MS.* callem.
(s) Certas. *Cl. Hauercampus malebat legere* tentas.
(t) *Cl. Hauercampus ſuſpicabatur, legi oportere:* Ne vel crura canis. *Sed tuendam mihi puto codicis MS. ſcripturam. Illo enim aeuo frequentiſſimum erat, breuem ſyllabam in caeſurae loco producere. Imo & aurei aeui poëtae id feciſſe leguntur. Vid. Poëtica Gieſſenſis p. 173. & 266.*
(u) *MS.* Vt, ſi i. m. laeſi cludatur ab ipſo. *Legi etiam poteſt:* Et, ſi.
(x) *MS.* et.
(y) *MS.* et.

quem *Gloſſario* praefixit ſuo *Latinitatis mediae*, exſtare & in bibliotheca Gallicana S. Germani MS. codicem *Sympoſii aenigmatum.* Qui an idem ſit, quo vſus eſt in editione ſua *Perionius*, equidem neſcio. Illud de Perioniano codice ex collatione cum caeteris confirmare poſſum, fuiſſe eum maxime inſincerum, & a ſciolo quodam (an forte a *Nobleto?*) correctum audaciſſime. Inſpicias, erudite lector, diſcrepantes eius a caeteris codicibus ſcripturas: & fateberis, id, quod dixi, veriſſimum eſſe.

LVII.

Defunctus nunc videbar praefandi officio, cum peropportune ſenſi me nondum quicquam verborum feciſſe de aenigmatum noſtrorum lemmatibus. Exhibentur ea in ſingulis codicibus, ſed ita, vt non ita raro alius aliud repraeſentet. Etiam *Caſtalionis* codex illud habebat ſingulare, quod plerique tituli aenigmatum in eo obſcurati erant omiſſione literarum vocalium, quarum locum occuparat (z) conſona ſingulas proxime ſequens. Sic primi aenigmatis hic ibi exſtabat titulus: GRBPHKXM; ſecundi: BRXNDP; tertii: BNXLXS CXM GFMMB. Merito

(z) *Vid. ipſius Caſtalionis annotatio ad aenigma primum.*

to igitur anquirimus de lemmatum iſtorum auctore. Videri poterat Lactantius ipſe auctor eſſe modo memoratarum notarum, vt ſcilicet, quantum poſſet, more artificum celaret artem, nec tamen omnem certae diuinationi aditum praecluderet. Verum primus ſtatim titulus clamat, ab aliena manu appoſita fuiſſe haecce lemmata. Cum enim primum aenigma ſic ordiatur in genere maſculo: *De ſummo planus*; lucidisſime hinc apparet, Lactantium pro titulo non fuiſſe ſcripturum neutro genere *graphium*, ſed *ſtylus*. Deinde non auctorem, ſed coniectorem ſubinde infelicem, produnt nonnulli falſi tituli, vt cum *num. 46.* inſcriptum eſt *lilium* pro *viola*, & *n. 56. caliga* pro *linum*: item cum aenigmati 94. plane nullus praefixus eſt titulus. Denique recentioris manus indicium eſt, quod quaedam aenigmata alium in alio codice praeferunt titulum: cuius rei exempla ſuppeditabit ipſa *Sympoſii* noſtri inſpectio. His igitur de cauſis credimus, non ipſum Lactantium ſuis aenigmatibus praepoſuiſſe titulos, ſed eos poſtera demum aetate ab aliis non ſemper feliciter diuinantibus inſcriptos fuiſſe.

LVIII.

De annotationibus meis nihil admodum

dum

dum eſt, quod moneam, niſi quod ad aenigma XXXVIII. adſcribi velim, de tigridibus a vento grauidis conſulendum eſſe *Woverium de Polymath. cap. XI. §. 11.* Sunt inter eas nonnullae, quibus facile caruerint eruditiores. Verum & tironibus conſulendum fuit, quos aenigmata haec a tirone felicis ingenii praecocisque in hexametros redacta capere plene planeque volui. *Caſtalionis* vero, *Barthii* ac *Beſſelii* ad annotationes quod attinet, ſeparatas eas a meis proprium conieci in locum, eisque inſerui annotationes virorum celebb. HASAEI ac GESNERI, quorum vterque rogatu meo *Sympoſium* perluſtrauit, ac pluribus locis ita, vt eruditione ſua dignum eſt, illuſtrauit, ea re non ſolum de me, ſed de quouis *Sympoſii* lectore bene meritus.

LIX.

Caeterum cum criticam potisſimum operam nauarim huic opuſculo, non emendans, ſolum illud ſtudioſisſime, verum ipſum eius auctorem in lucem revocans, in extrema hac praefatione merito ad huius aeui principes ſenatus critici, BENTLEIOS, CLERICOS, BVRMANNOS, MONTEFALCONIOS, FABRICIOS, CROZIOS, DAVISIOS, WOLFIOS, me conuerto, ſequentique

(z) *Maro, cum certe*, (ita cum ipſo pergo,) *ſi deprauatis vtimur codicibus, nihil aliud ſuperſit, niſi vt Ixioni ſimiles vmbram pro re, errorem pro ſcientia, ampleƈtamur.*

XLIX.

Atque initio ſolius ſecutus ingenii ductum non paucos detexi naeuos, quo hunc libellum deturparat librariorum partim imperitia, partim negligentia: inter quas emendationes ſunt, quas deinceps vidi confirmari liquidiſſimâ MSS. codicum ſcriptura. Hinc adii variantes lectiones, quas reperit *Perionius*, *Camerarius*, *Pithoeus*, *Caſtalio*, ſuis quisque MSS. in codicibus: earumque ope partim meas medelas reddidi certiores, partim noua retexi vulnera, ad eaque ſananda omnem curam & cogitationem contuli. Forte inter haec accidebat, vt *Theodorus Haſaeus* quem ſupra iam honorifice memini, conſultis MSS. codicum Catalogis me edoceret, latere aliquot codices *Sympoſii* huius MSS. partim Lugduni Batauorum, partim in Anglia. Nec iſta humanitate contentus vir optimus optimeque de optimis merens literis ſtatim ſimul recipiebat, ſe ad amicum quendam in Batauiam ſcriptu-

(z) *In Praef. ad Petri Diaconi librum de viris illuſtribus Caſinenſibus.*

ſcripturum, eumque rogaturum, vt ad me transmittat accuratiſſime deſcripta variantia codicum Lugdunenſium loca. Occaſionem vero cum circumſpicerem nanciſcendi varias, quas vulgo vocamus, lectiones ex Anglia, fauente & hic mihi fortuna factum eſt, vt ſuperiore anno, cum Hanouerae verſarer, beneuole me conueniret ſuamque mihi offerret amicitiam vir doctiſſimus, *Io. Georgius Keyslerus*, Regiae Societatis Anglicanae Collega dignisſimus, cuius eruditisſimum opus *Selectarum Antiquitatum Celticarum* nuper non mediocri exceptum eſt has literas amantium applauſu. Is igitur cum narraret, ſe Londini ſatis diu verſatum commodisſimis gauiſum eſſe occaſionibus in plurium eruditorum amicitiam ſe inſinuandi, ſine mora rogatus a me eſt, vt ad illorum quempiam ſcriberet, ab eoque ſummis contenderet precibus, vt, quicquid Londini vel alibi eſſet MSS. codicum, meo ſumtu quam ſcitisſime deſcribendum curaret & quamprimum transmitteret. Is & pollicitus eſt operam ſuam perhumaniter, & feliciter paulo poſt impetrauit a *Ioanne Chamberlaynio*, Armigero, viro humanitatis non minus, quam eruditionis, eximia laude florenti, vt ipſi res iſta curae eſſet. Atque ita factum eſt,

vt tria codicum ex Anglia acciperem apographa *Sympoſii*. Breui poſt tempore etiam *Haſaeus* mihi tranſmiſit variantes lectiones duorum MSS. codicum bibliothecae Lugdunenſis, quas rogatu ipſius ſumma attentione & induſtria inde excerpſerat *Hauercampus*, vir clariſſimus ac ſupra iam ſuo mihi merito laudatus, iterumque nunc laudandus ob praeſtitam mihi ſingularis humanitatis beneuolentiam.

L.

Nactus igitur quinque MSS. codicum lectiones, coepi non eas ſolum adſcribere ad editionem *Sympoſii* (a) Walchianam, quippe quae prima venerat in manus meas, ſed & aliunde congerere lectiones variantes. Has ſumma fide ſtudioque exhibeo in hac mea editione ſingulis ſubiectas aenigmatibus, & ſiglis diſtinctas, quarum ſignificatum hic explicare debeo. Scilicet literae *A. B. C.* ſignant Codices Anglicanos, & prima quidem pri-

(a) *Sciant igitur lectores, variantes lectiones, quas ſubieci ſingulis aenigmatibus, vulgatam reſpicere editionem, hoc eſt, Iunckerianam vel Walchianam. Et hanc in annotationibus reſpicio meis, quoties vſurpo illud:* Vulgatum *vel* Editum erat. *Mearum enim putaui eſſe partium, non corruptum textum exhibere, ſed correctum.*

primum, ſecunda ſecundum, tertia tertium; *D.* codicem Lugdunenſem priorem, & *E.* poſteriorem; *P.* codicem Pithoei. *Cam.* codicem Camerarii, *Per.* codicem Perionii. Tandem cum & gloſſae codicibus duobus Anglicanis prioribus adſcriptae nonnunquam vſui mihi fuerint, ac praeterea in Cauſini editione nonnullas deprehenderim variationes quas non plane putabam negligendas, has quidem per notam *Cauſ.* illas per *gl.* ſignificatas volo.

LI.

Sed haud dubie ſpem lectorum meorum expleuero, ſi codicum illorum ſingulorum luculentiorem exhibuero deſcriptionem. Sciant itaque, inter illos codices optimum eſſe Anglicanum primum, in Bibliotheca Regia, quae Weſtmonaſterii aſſeruatur, ita ſignatum: *E.593.* Is ante octingentos annos exaratus eſſe creditur, & exaratus profecto eſt multo accuratius caeteris, adſcriptaeque ſunt ei gloſſae a grammatico quopiam haud indocto. Ordo quidem aenigmatum in primo hoc & in ſecundo, de quo mox dicam, codice interdum differt ab ordine vulgato, ſed raro. Alter Angliae Codex, qui in eadem regia bibliotheca exſtat ſic inſcriptus: *E. 919.* eodem, quo

 prior,

prior, ſaeculo ſcriptus eſſe creditur, &, licet non aequet prioris illius bonitatem, non tamen meretur prorſus malis aggregari codicibus. Mutilus autem eſt iſte codex, in eoque priora triginta nouem aenigmata deſiderantur. Tertius Anglicanus codex, qui in bibliotheca Cottoniana aſſeruatur, trecentorum circiter annorum eſt, ac fere conuenit cum editione *Sympoſii* typographica, qua vſus ego ſum. Caeterum admodum indiligenter is ſcriptus eſt, & multa habet vitia, quae ſcribae vel imperitiam coarguunt vel nimiam negligentiam.

LII.

Venio ad Lugdunenſis Academiae codices, quorum prior in forma quarta, quam vocant, eſt perſcriptus, poſterior in octaua ſiue octuplicata. Et hunc quidem *valde veterem* eſſe, teſtis mihi eſt Cl. *Hauercampus.* Caeterum vtrumque codicem in iſtam bibliothecam delatum fuiſſe e bibliotheca *Iſaaci Voſſii*, ideo non dubito, quod in Catalogo codicum MSS. eius, quem adornatum habemus a *Colomeſio*, duplex *Sympoſii* aenigmatum codex exſtat, & prior quidem *num. 294.* inter codices Latinos, poſterior *num. 319.* Vterque horum codicum corruptiſſime ſcriptus, non tam variantes exhibet lectiones, quam

quam manifeſta librariorum errata. Tamen & hoc e ſterquilinio non nihil auri eruere potui. Adeo nullus liber vetuſtus tam luteus eſt, vt non ſubinde optimi metalli aliquid in illo luto reperiatur. Eleganter *Michaël Thomaſius* in penultima pagina ſuarum ad *Lactantii* Opera notarum de codice quodam: *Eſt*, inquit, *ille codex valde corruptus. Tamen is eſt, qui eum iuuare poſſit, qui eo cum iudicio vtatur. Et ſane ſic faciendum eſt eis, qui hanc curam emendandi veterum auctorum libros ſuſcipiunt, vt ſaepe ex pluribus malis codicibus vnicum optimum efficiant.* Poſſum igitur *Iani Gulielmi* (b) verba hic facere mea: *Vſus ſum peruetuſto libro, deſcripto quidem eo vitioſiſſime, ex cuius tamen veſtigiis multa bonae lectionis veluti veſtigia ſagaciter odoranti ſeſe offerunt.* Veriſſimum eſt enim, quod ſummus ille criticus, *Io. Frid. Gronouius*, iudicat in *Monobiblo* (c) *ad ſcriptores eccleſiaſticos, eſſe quidem membranis haerere tutiſſimum; tamen, ſi quid illae aſperi & ſcabri & ſenticoſi exhibeant, ex eo veram ſcripturam vt eliciamus, operam dandam eſſe. Non ſunt enim* (ita pergit,) *codices antiqui ſine mendis etiam prodigioſis, & praeclare nobiſcum agitur, cum ſigna ad ſalutem & veram*

(b) *Veriſimil. lib. III. cap. 14.*

(c) *Cap. VII. p. 72.*

veram auctoris manum ſatis plana ſunt ac certa. Reliquum mens diuina, plurimumque doctrinae ſtudium, & percognita ſcriptoris indoles ac natura praeſtabunt.

LIII.

Vti vero ex Anglicanis codicibus duobus prioribus non omnes exſcripſi gloſſas, ſed eas duntaxat, quae non videbantur nullius eſſe momenti; ſic nec omnes omnino ſcripturae diuerſitates inde & ex caeteris codicibus annotaui. Annotaui quidem plurimas, &, vt Terentiana vtar formula, *pleraſque omnes*, vt non ſit, quod meam induſtriam quisquam deſideret; ſed erant nonnulla vitia adeo turpia, eademque adeo manifeſta, vt non ſuſtinerem ea, quotiescunque occurrebant, inter varias lectiones adſcribere. Sic manifeſtiſſimo errore in cod. *A.* titulus aenigmatis XI. habebat *pluuio* pro *fluuio*: in codice *C.* erat aenigmate XL. 1. *incuſſum* pro *intus ſunt*: in codice *D.* v. 3. *nexu* pro *nec ſum*; XXXIV. 1. *malus* pro *maius*; XL. 1. *capud* pro *caput*; LVI. 2. *refulſa* pro *reuulſa*; LXXIX. 1. & LXXXVI. 1. *curbo* & *curba* pro *curuo* & *curua*; LXXXVIII. 2. *ancipitis* pro *ancipites*. Idem codex aenigm. XXXI. 1. commate non ſuo loco poſito ſic habebat: *Moechus eram, regis ſed*, caetera.

LIV.

LIV.

Duo adhuc ſunt, quae de codicibus illis monenda habeo. Primum enim in Lugdunenſibus, item in primo Codice Anglicano ſequitur *Adelmi* liber aenigmatum ſub hoc titulo: *Incipiunt capitula de enigmatibus* (d) *Aldhelmi.* In ſecundo autem Anglicanorum ſequebatur Epithalamium a S. Paulino dictum in Iulianum. Recordor hic; *Ioannem Lelandum* teſtari in *Collectaneis* ſuis, & quidem tomi tertii tribus (e) locis, ſaepius in bibliothecis Anglicanis reperiri eodem coniuncta volumine *aenigmata Aldelmi, Simpoſii, Euſebii, & Tautuni:* vbi quidem quis ſit *Euſebius* ille, quis *Tautunus*, ignorare me profiteor, niſi forte aenigmatographi illi duo, quorum ſupra (f) e *Sigeberto Gemblacenſi* facta mentio eſt, *Eckebertus* & *Thomas* transformati fuerunt alter in *Euſebium*, alter in *Tautunum.*

LV.

Deinde in codice *E*, qui ſecundus eſt Lugdunenſis bibliothecae, velut appendicis inſtar ſequebantur quinque alia aenigmata, eaque (en verba *αὐτόπτȣ* Cl. *Hauer-*

(d) *Vocatur enim &* Adelmus *&* Aldhelmus.
(e) *p. 154. 161. & 163.*
(f) §. 47.

Hauercampi!) *valde minuto charactere deſcripta, vt oculos multum fatigauerit eorum lectio.* Equidem ſuſpicor, deſumta ea eſſe ex *Egeberti* ſiue *Eckeberti* ſupra memoratis *aenigmatibus ruſticanis.* Certe huic coniecturae ſuffragantur tituli, & ipſe quoque ſtylus prodit hominem barbariore verſatum in ſaeculo. Sunt vero & haec admodum deprauate ſcripta. Videor tamen mihi priora quatuor non infeliciter perſanaſſe. Quintum, quod non potui totum reſtituere priſtinae ſanitati, emendandum relinquo ingenio acutiori. En ea, prout a me correcta debitisque inſtructa interpunctionibus ſunt, ſubiuncta & diuerſa MS. codicis ſcriptura, & tribus Cl. *Hauercampi* ſuſpicionibus.

I. FLABELLVM (g) PICTVM.

Amplificam faciem ſtricto (h) *ſub corpore geſto.*
Si replicas, pulchram cernes ſub tegmine formam.
Muſcas (i) *incurrens alieno* (k) *pello labore,*
Aurarumque ſimul gratiſſima flamina pando.

II. MA-

(g) *MS.* flauellum.
(h) *Id eſt, conſtricto.*
(i) *MS.* Muſcasque.
(k) *Id eſt, excitato vento.*

II. MACERIA.

Incenſis (l) *nobis hortos cinxere patentes,*
Poſtquam (m) *puluiream flammae fecere fauillam.*
Vna mihi facies, ſed plurima membra minuta.
Quae (n) *mihi dat vires, ſolet haec & ferre ruinam.*

III. BACVLVS, QVI MANIBVS TENETVR.

Firmo citos greſſus, manibus ſi firmor ab ipſis.
Si claudus fueris, ſaluum me ſemper habebis:
Si firmus pedibus, non ſic & (o) *carus habebor.*
Non te percutiet, quem non percuſſeris (p) *ipſe.*

IV.

(l) *MS.* Incenſi noſmet noſtri cinxere parentes. *Innuit auctor* ſtipites praeuſtos, *quos Virgilius vocat AEn. VII. 524.* igne duratos *Curtius III. 2. 16.*

(m) *MS.* P'q. *Cl.* Hauercampus *ſuſpicabatur, reſcribendum eſſe* plusquam.

(n) *Subaudi* flamma. *Haec enim ſtipitibus, quibus* maceria *nititur, vires dedit, id eſt, eos durauit. Eadem interitum afferre poteſt ac ſolet maceriae.*

(o) *Fortaſſe* ego *pro* et.

(p) *MS.* percuſſero ſi vis.

IV. IDEM. (q)

Sume tibi baculum, collem (r) *qui corpore* (s) *ſcandis,*
Ne ruat in pinguem ceruix inclina paludem,
Neue canis (t) *crura morſu diſcerpat amaro,*
Aut (u) *ſi inimica manus laeſit, laedatur ab ipſo.*

V. CVCVMIS.

Seminor; at (x) *ſemen cultor non ſuſcipit ex me,*
Praeſens & rodit, fructus ſed (y) *colligit abſens.*
Incultis cultisque locis mea ſemina ſpargo.
Sic fraudem facio, domino ſed plura miniſtro.

LVI.

Non placet praeterire ſilentio, quod *Dufreſnius* me docuit in *Indice Auctorum,* quem

(q) *MS.* Item.

(r) *MS.* callem.

(s) Certas. *Cl. Hauercampus malebat legere* tentas.

(t) *Cl. Hauercampus ſuſpicabatur, legi oportere:* Ne vel crura canis. *Sed tuendam mihi puto codicis MS. ſcripturam. Illo enim aeuo frequentiſſimum erat, breuem ſyllabam in caeſurae loco producere. Imo & aurei aeui poëtae id feciſſe leguntur. Vid. Poëtica Gieſſenſis p. 173. & 266.*

(u) *MS.* Vt, ſi i. m. laeſi cludatur ab ipſo. *Legi etiam poteſt:* Et, ſi.

(x) *MS.* et.

(y) *MS.* et.

quem *Gloſſario* praefixit ſuo *Latinitatis mediae*, exſtare & in bibliotheca Gallicana S. Germani MS. codicem *Sympoſii aenigmatum.* Qui an idem ſit, quo vſus eſt in editione ſua *Perionius*, equidem neſcio. Illud de Perioniano codice ex collatione cum caeteris confirmare poſſum, fuiſſe eum maxime inſincerum, & a ſciolo quodam (an forte a *Nobleto?*) correctum audaciſſime. Inſpicias, erudite lector, diſcrepantes eius a caeteris codicibus ſcripturas: & fateberis, id, quod dixi, veriſſimum eſſe.

LVII.

Defunctus nunc videbar praefandi officio, cum peropportune ſenſi me nondum quicquam verborum feciſſe de aenigmatum noſtrorum lemmatibus. Exhibentur ea in ſingulis codicibus, ſed ita, vt non ita raro alius aliud repraeſentet. Etiam *Caſtalionis* codex illud habebat ſingulare, quod plerique tituli aenigmatum in eo obſcurati erant omiſſione literarum vocalium, quarum locum occuparat (z) conſona ſingulas proxime ſequens. Sic primi aenigmatis hic ibi exſtabat titulus: GRBPHKXM; ſecundi: BRXNDP; tertii: BNXLXS CXM GFMMB. Meri-

F to

(z) *Vid. ipſius Caſtalionis annotatio ad aenigma primum.*

to igitur anquirimus de lemmatum iſtorum auctore. Videri poterat Lactantius ipſe auctor eſſe modo memoratarum notarum, vt ſcilicet, quantum poſſet, more artificum celaret artem, nec tamen omnem certae diuinationi aditum praecluderet. Verum primus ſtatim titulus clamat, ab aliena manu appoſita fuiſſe haecce lemmata. Cum enim primum aenigma ſic ordiatur in genere maſculo: *De ſummo planus*; lucidisſime hinc apparet, Lactantium pro titulo non fuiſſe ſcripturum neutro genere *graphium*, ſed *ſtylus*. Deinde non auctorem, ſed coniectorem ſubinde infelicem, produnt nonnulli falſi tituli, vt cum *num. 46.* inſcriptum eſt *lilium* pro *viola*, & *n. 56. caliga* pro *linum*: item cum aenigmati 94. plane nullus praefixus eſt titulus. Denique recentioris manus indicium eſt, quod quaedam aenigmata alium in alio codice praeferunt titulum: cuius rei exempla ſuppeditabit ipſa *Sympoſii* noſtri inſpectio. His igitur de cauſis credimus, non ipſum Lactantium ſuis aenigmatibus praepoſuiſſe titulos, ſed eos poſtera demum aetate ab aliis non ſemper feliciter diuinantibus inſcriptos fuiſſe.

LVIII.

De annotationibus meis nihil admodum

dum eſt, quod moneam, niſi quod ad aenigma XXXVIII. adſcribi velim, de tigridibus a vento grauidis conſulendum eſſe *Wowerium de Polymath. cap. XI. §. 11.* Sunt inter eas nonnullae, quibus facile caruerint eruditiores. Verum & tironibus conſulendum fuit, quos aenigmata haec a tirone felicis ingenii praecocisque in hexametros redacta capere plene planeque volui. *Caſtalionis* vero, *Barthii* ac *Beſſelii* ad annotationes quod attinet, ſeparatas eas a meis proprium conieci in locum, eisque inſerui annotationes virorum celebb. HASAEI ac GESNERI, quorum vterque rogatu meo *Sympoſium* perluſtrauit, ac pluribus locis ita, vt eruditione ſua dignum eſt, illuſtrauit, ea re non ſolum de me, ſed de quouis *Sympoſii* lectore bene meritus.

LIX.

Caeterum cum criticam potisſimum operam nauarim huic opuſculo, non emendans, ſolum illud ſtudioſisſime, verum ipſum eius auctorem in lucem reuocans, in extrema hac praefatione merito ad huius aeui principes ſenatus critici, BENTLEIOS, CLERICOS, BVRMANNOS, MONTEFALCONIOS, FABRICIOS, CROZIOS, DAVISIOS, WOLFIOS, me conuerto, ſequentique

tenui carmine *Sympoſium* hoc renouatum iis inſcribo ac dedico:

Cui ſacro lepidum meum libellum?
Quem, licet Cicerone Chriſtiano
Satum, iure meum voco libellum.
Nam poſtquam latuit celebris auctor
Tot per ſaccula, cognitus nec vni,
Sub libri titulo ſui ſepultus,
Nunc dias reuoco virum ſub auras,
Et natum tibi, FIRMIANE, reddo,
Natum, quem reor edidiſſe partu
Te primo teneris adhuc in annis.
Cui ſacro lepidum hunc meum libellum?
Vobis ſacro meum dicoque librum,
Docti SCALIGERIque LIPSIIque,
Vobis, nomina magna (a) *Pancritarum,*
Vobis, magna politioris orbis
Fulcra & ſidera, Muſici Senatus
Principes! Videatis, an libellum
Recte vindicet hunc ſibimet ille,
Quem noſtis bene, FIRMIANVS ille.
Argumenta, rogo, aeſtimate docte,
Quibus vindico LVCIO diſerto
Hunc aenigmatibus librum refertum,
Scriptum verſibus vndiquaque doctis.
Quod ſi tum criticus Senatus ille,
Docti SCALIGERIque LIPSIIque,

Me

(a) *Id eſt, Criticorum, quos* Pancritas *appellare licebit imitatione vocabuli* πάνσοφος *&* πάμφιλος.

Me minus ſtatuent videre acute,
Erroremque meum probe refellent,
A me deficiam, ſtatimque primus
Amplectar mage vera, certa, clara.
Sin ſubſcribitis, optimi Catones,
Atque applauditis huic opinioni,
(Nam ſuffragia poſco literata,
Plauſum negligo plebis imperitae:)
Non ſane inuideo tibi, BALVZI
Cui dudum quoque perbonum libellum
Illi ipſi aſſeruiſſe FIRMIANO
Orbe contigit approbante toto.
Ergo perlegite atque ponderate,
Quem vobis lepidum dico libellum,
Docti SCALIGERIque LIPSIIque!

LX.

De Appendicum pari, quod ſubieci *Sympoſio*, nihil dico. Ipſae illae ſe ſatis aperient lectoribus, qui, ſaltim hoc loco alienas non eſſe eas, cenſebunt illico. Vnus reſtat *Durandus* quidam, Ortuini Gratii, ipſas *Muſas* laceſſere auſſi, filius haud degener, qui propemodum circulos hos meos turbaſſet, monentibus identidem amicis, vt arrogantiam hominis indoctam; quam non ita pridem in Ephemeridibus ψευδωνύμοις oſtendit, tribus libellis famoſis me agreſſus, in quibus conuicia in me liberaliſſime effudit,

iuſta cenſura retunderem. Sed non e curriculo me meo reuocari paſſus ſum ab iſto antagoniſta, ſufficere ratus breuem reſponſionem, eamque pariter triplicem, quam hic dabo. Primo ſcilicet pro me homini reſpondebit φιλόλογος, ſed idem philoſophus, *Phaedrus* libri quinti prologo: *Imitari me dum non poſſit* Durandus *obtrectet licet. Illiteratum* (hoc eſt, vulgariter literatorum) *plauſum non deſidero.* Poëtae ſuccenturio grauisſimum philoſophum, *Senecam*, ſic libro *de Conſtantia* (b) praecipientem: *Et honores & iniuriae vulgi* (etiam literati vulgi,) *in promiſcuo habendi ſunt. Nec his dolendum, nec illis gaudendum.* At videri ſophiſta vult theologus. Quare theologum audiat ſummae auctoritatis, cuius quidem nomen ipſe (ſcio,) maiorem in modum veneratur, *Cyprianum.* Eius haec eſt in exordio libri *ad Demetrianum* ſententia: *Melius exiſtimo, errantis imperitiam ſilentio ſpernere, quam loquendo.* Sed nolo caetera ſubiungere, ne alieni feruoris verba meae irae commodaſſe videar.

LXI.

Reuertor ad lectores meos, eisque optime valere iuſſis ad praeuertendam itera-

(b) *Cap. XIX.*

iteratae lectionis patientiam totius meae praefationis hanc ἀνακεφαλαίωσιν exhibeo:

Teſtimonium Hieronymi de Sympoſio Lactantii profertur & emendatur, §. I. *Ex eo concluditur, Sympoſii praeſentis auctorem eſſe Lactantium*, II. *Oſtenditur, verum libri titulum eſſe* Sympoſium, *indeque effictum fuiſſe poëtam nomine* Sympoſium: *ſimulque plures huius generis errores notantur*, III. *Alii ſcriptores Sympoſiorum ex priſco aeuo*, IV. *De ſympoſiis ſiue conuiuiis literatis veterum*, V. *Reliqua argumenta, quibus probatur, Sympoſii praeſentis auctorem eſſe Lactantium*, VI. *Huius Sympoſii meminit ſaeculo ſeptimo Adelmus*, VII. *& circa idem tempus auctor Hiſtoriae Apollonii Tyrii*, VIII. *Auxiliares, eaedemque leuioris armaturae, copiae, quae pugnant, Lactantium eſſe praeſentis Sympoſii auctorem*, IX. *Recapitulatio praecipuorum argumentorum*, X. *Nominantur viri doctiſſimi, Sympoſium omnino eſſe librum Lactantii, mihi aſſenſi*, XI. *Memoratur contradictio Fabricii*, XII. *Beyeri, cui reſpondetur*, XIII. *Anonymi Bataui, cuius dubitationi ſatisfit*, XIV. XV. *Digreſſio de nomine Lactantii. Refellitur Pfaffius, praenomina* Lucii Caecilii *Lactantio abiudicans*, XVI. Caecilius, *non* Coelius, *eſt verum Lactantii nomen*, XVII. *Refutantur, qui Lactantium crediderunt a patria dictum fuiſſe* Firmianum, XVIII. *De patria*


Lactantii. Defenditur, eum Afrum fuiſſe, & quidem Siccenſem, XIX. De nomine Firmiani *& eius origine, XX. De nomine* Lactantii. *Notantur, qui id e lacteo flumine eloquentiae deriuatum voluerunt, XXI. Multitudo nominum Lactantii illuſtratur ſimilibus illius aeui exemplis, XXII. Sympoſii illius mentio affertur e ſaeculo duodecimo, XXIII. XXIV. Saeculo decimo quinto id rurſus e tenebris protraxit Nobletus, XXV. Primus typis edidit Perionius, XXVI. Perionianam editionem bis repetiit Reuſnerus, XXVII. Praefatio Perionii XXVIII. AEnigma in editione Perionii* ὑποβολιμαῖον, *XXIX. De Camerarii editione aliquot aenigmatum Sympoſii, XXX. itemque Lorichii, XXXI. De Pithoei editione Sympoſii, XXXII. De editione Caſtalionis, XXXIII. De editionibus Ritterſhuſii & Meurſii, XXXIV. De editionibus Duacenſi & Cauſini, XXXV. De editionibus Iunckeri & Walchii, XXXVI. De tribus Sympoſii editionibus primariis, XXXVII. De verſione Sympoſii Graeca & Germanica, XXXVIII. Errores doctorum virorum de aetate, religione & patria Sympoſii poëtae, XXXIX De origine erroris, quo ex Sympoſio libro factus eſt Sympoſius poëta, XL. Eruditorum de hoc Sympoſio iudicia, XLI. Iudicium de notis ad Sympoſium Caſtalionis, XLII. Barthii, XLIII. & Beſſelii, XLIV. Iudicium meum de aenigmatibus his ſympoſiacis, XLV. XLVI. oſtenditur, tractationem*

tionem horum aenigmatum pertinere ad otium liberale, nec vituperari debere, XLVII. De critica cura huic Sympoſio in hac noua editione adhibita, XLVIII. De codicibus Sympoſii MSS. quibus vſus ſum, de iisque iudicium, XLIX. L. LI. LII. LIII. LIV. LV. De Sympoſii codice MS. Gallicano, LVI. De lemmatibus horum aenigmatum, LVII. De annotationibus meis, aliorumque, huic editioni adiectis, LVIII. Dedicatio huius editionis ad ſummos huius aetatis criticos, LIX. Allocutio breuis ad Puridurium, LX.

Scripſi Gottingae d. XXII. April. An. MDCCXXI.

L. CAECI-

Tab. I. ad AEn. 1.



L. CAECILII FIRMIANI LACTANTII

SYMPOSIVM.

PROLOGVS.

HOc quoque Sympoſium luſi de carmine inepto.
Sic me Sicca docet, Siccâ deliro magiſtrâ,
Annua Saturni dum tempora feſta redirent
Perpetuô ſemper nobis ſolennia ludo.
Poſt epulas laetas, poſt pocula dulcia menſae
Deliras inter vetulas puerosque loquaces
Cum ſtreperet late madidae facundia linguae,
Tum verboſa cohors ſtudio ſermonis inepti
Magno neſcio quas paſſim de carmine nugas

Eſt

Eſt meditata: diu ſic friuola multa locuta eſt.
Nec mediocre fuit magni certaminis inſtar,
Ponere de verſu vel ſoluere quaeque viciſſim.
Aſt ego ne ſolus foede tacuiſſe viderer,
Qui nihil attulerim mecum, quod dicere poſſem,
Hos verſus feci ſubitô de carmine. Voces
Inſanas inter ſanum non eſſe neceſſe eſt.
Da veniam, Lector, quod non ſapit ebria Muſa.

VARIANTES LECTIONES.

Titulus in A. Incipiunt Enigmata Simphoſii. C. & D. Inc. Enig. Symphoſii. *Verſus 1. & 2. in* P. & Per. *deſunt.* *Verſu 1.* C. Hic quoque Simphoſius. 2. A. ſic deliroque magiſtró. 7. A. Dum ſtreperet. 10. Per. locuta. 12. A. & Cauſ. diuerſa. P. diuerſe. Per. diuerſos. D. quique. 14. A. & D. attulerim—poſſim. 17. A. & P. quod non ſapit. C. quod ſapit. D. quod non capit. Per. ſi non ſapit.

ANNOTATIONES.

Verſus 1. 2. 3. & 4. continent praefationis praefationem. Priori ſcilicet praefatiuncula auctor ſe excuſat lectoribus, quod hoc Sympoſium ſcribendo id

id fecerit, quod intermittere non potuerit: poſteriori exponit, quae ipſum occaſio permouerit ad aenigmata haec in verſus redigenda.

Verſus 1. & 2. quodam tempore mihi viſi ſunt ſuppoſititii. Nam primum abeſſe poſſe videbantur. Deinde ineptum videbatur, ſecundo verſu compellari *Sextum*, ultimo *lectorem*. Confirmabant coniecturam meam duo codices, qui priores iſtos duos verſus non habent. Vidi & nuper in *Nouis literariis Lipſienſibus anni 1720. p. 155.* nonneminem in eandem veniſſe ſuſpicionem, vt crederet, illud par verſuum ab aliena manu adiectum eſſe. Sed ipſe a mea ſententia deſciſcere coactus ſum, cum deprehendi, caeteros codices omnes, etiam vetuſtisſimum illum Anglicanum, habere duos iſtos verſus. Multo autem magis me poenituit ſuſpicionis meae, cum obſeruaui, verſus hoſce duos arctiſſime connexos eſſe cum duobus ſequentibus, adeoque verſum ſecundum *commate*, quartum *puncto* terminandum eſſe. In vulgata quidem editione ſecundo verſui *punctum*, quarto *comma* eſt adiectum. Sed velim ipſe lector ſuos adhibeat oculos in conſilium. Videbit certe facile, auctorem dicere, *ſe delirare iam, dum celebrarentur Saturnalia*, adeoque verſum

verſum ſecundum cum tertio coniungendum eſſe. Porro haud difficulter cognoſcet, quartum verſum cum quinto coniunctum violare orationis elegantiam, fluxumque verborum reddere impeditiorem. Nec interpunctioni illi meae repugnant mei codices, quippe in exitu plerorumque praefationis verſuum nec comma praeferentes nec punctum, certe duos iſtos, quos dico, verſus repraeſentantes ἀςίκτες.

1. Vulgata lectio: *Haec quoque Sympoſius de carmine luſit inepto.* Coniecturae meae, qua ſtatui, pro *Sympoſius* reſcribendum eſſe *Sympoſium*, tam cupide aſſenſus eſt doctiſſimus quisque, vt iam haec habenda ſit certa claraque lectio. Tota enim praefatio clamat, auctorem *ſympoſiacas*, vt Gelliano verbo vtar, exhibere quaeſtiunculas, totumque hoc opuſculum compoſitum eſſe occaſione συμποσίε ſive, vt Latini ſapientius loquuntur iudice (a) Cicerone, *conuiuii* Saturno ſacri. Iam cum eliminatus ſit ille *Sympoſius*, apparet, nec τῷ *luſit* locum eſſe. Scribo igitur *luſi*, idque in ſuum locum reſtituo hoc modo: *Hoc quoque Sympoſium luſi de carmine inepto.* Traiectionis cauſam hanc librariis fuiſſe arbi-

(a) *Lib. IX. ad Famil. epiſt. 24. & lib. de ſenect. cap. 13.*

arbitror. Primum ob ſubſequens *de τὸ luſi* mutatum fuerat in *luſit*. Hinc aurium gratiam captans alius, & eliſionem, quam vocant, ſublaturus non dubitauit ſcribere: *de carmine luſit inepto*. Antequam hinc diſcedo, alias, quae mentem meam ſubierunt, quaſque poſtea damnaui iuſtis de cauſis, coniecturas proferam, non quo ineptiis applaudam meis, ſed vt, ſi forte & alii in iſtas incidant opiniones, ſciant, ſe non debere in illis propugnandis quicquam ſtudii operaeque ponere. Suſpicabar igitur, primum verſum exhibere quaeſtionem, alterum reſponſionem, adeoque hanc eſſe veram ſcripturam: *Tu quoque Sympoſium de carmine ludis inepto? Sic tu, Sexte, doces, te deliroque magiſtro.* Vel iſtam: *Hic quoque ſympoſium de carmine ludit inepto? Hoc me, Sexte, doces, te deliroque magiſtro*, hoc eſt, Tu, Sexte, qui praeceptor es meus, haec aenigmata mihi dediſti in hexametros cogenda, adeoque, ſi ineptio, te magiſtro ineptio.

Hoc quoque] Eodem modo orditur Horatius quintam libri ſecundi ſatyram; *Hoc quoque Tireſias*. Non male hinc concludimus, Lactantium antea, quam componeret hoc *Sympoſium*, edidiſſe alia carmina. Ac res ipſa docet, *Sympoſium* hoc non fuiſſe primum ingenii poëtici foe-

tum

tum, prodens quippe auctorem in hac palaeſtra non mediocriter exercitatum. Nec fortaſſe errauerit, qui Epigrammata, *Coelii Firmiani Sympoſii* nomine inſcripta a Pithoeo (b) edita, Lactantio pariter tribuerit auctori. Certe ex iis epigrammatibus, quae inde Barthius *lib. XXIII. Aduerſariorum cap. 7.* exhibet, colligo, nec caetera Lactantio indigna eſſe. Atque haud dubie adoleſcentiam ſuam poëtico ſtudio ſtrenue exercuit Lactantius. Si igitur nihil ineſt in illis epigrammatibus, quod meae coniecturae repugnet, (de quo iudicium permitto iis, qui Pithoeanum opus in manibus habent,) non vereor pro certo habere, & illa Epigrammata monumentis Lactantii poſthac eſſe adiungenda.

1. *de carmine*] Pro *carmine.* De illo loquendi genere infra dicam ad *v. 12.*

luſi] Verum poëtarum proprium. Virgilius *Georg. IV. 565: Carmina qui luſi paſtorum*, id eſt, ſcripſi carmina bucolica. Idem *Ecloga VI. 1: Syracuſio dignata eſt ludere verſu Noſtra Thalia.* Ouidius *Triſt. I. 8. 61: Hoc iuueni luſum mihi carmen. Idem III. 1. 7.* libros ſuos amatorios vocat opus, *quod viridi quondam male luſit in aeuo.* Idem carmi-

(b) *Vid. Fabricius Bibl. Lat. lib. IV. cap. 1. §. 6. p. 673.*

carmina appellat *luſus II. 223.* Ac *III. 3. 73.* & *IV. 10. 1.* a ſemet ipſo vocatur *tenerorum luſor amorum.* Ac ſane tota poëſis nihil eſt aliud, quam luſus ingenii, recteque idem poëta *Triſt. I. 8. 57.* philoſophiam ac caeteras diſciplinas a poëſi diuerſas appellat *artes ſeueras.*

2. En vulgatam huius verſus ſcripturam: *Sic tu, Sexte, doces, ſic te deliro magiſtro.* Ego ſic reſcribendum duco: *Sic me Sicca docet, Siccâ deliro magiſtrâ.* Certe in codice Caſtalionis exſtabat: *Sic tu es.* Vnde facere licet: *Sic me S.* Scilicet *me* tranſiit ob ſcripturae viciniam in *tue.* Caeterum in vrbe *Sicca* elaboratum eſſe hoc Sympoſium, dubitare nos vetat Hieronymus, qui *Cap. 79.* & *80. libri de ſcript. eccl.* memoriae prodidit, Lactantium *Siccae,* quae Africae vrbs erat, Arnobio vſum eſſe magiſtro. Ac iam ſupra dixi, incommodum eſſe, vt auctor Sympoſii extremo verſu *lectorem*, ac ſecundo *Sextum* neſcio quem alloquatur. Nec vlli, credo, probaturus eſt opinionem ſuam Cl. Beyerus, qui in *Nouis literariis Lipſ. A. 1720. p. 156.* ſibi perſuaſit, innui *Sextum Empiricum.* Neque operae pretium fecerit, qui catalogos *Sextorum* a Ionſio (c) & Fabricio

G (d) ex-

(c) *Vid. Index ad eius libros de ſcript. hiſt. philoſ.*

(d) exhibitos hic conſuluerit. Mihi ſummopere placet *Sicca*, quam Lactantius eleganter *magiſtram* ſuam vocat, imitatus Tacitum, qui in *Agricolae Vita IV*, 4. Maſſiliam vrbem dixit *magiſtram ſtudiorum*. Atque eo magis mea mihi arridet emendatio, quod hoc verſu Lactantius excuſare ſe videtur, quod, cum Chriſtianae ſit addictus religioni, ethnica tamen ſacra concelebret. Dicit igitur, ſe quidem iuxta cum ethnicis condiſcipulis verſus Saturnales componere; ſed ſe ſibi ea re non videri peccare: eſſe enim haec deliramenta quaedam & innoxios ingenii luſus, quos tanquam ſcholae Siccenſis diſcipulus iuſſu magiſtri communis compoſuerit. Etſi igitur ſit Chriſtianus, tamen id ſe facere potuiſſe, nec proinde Saturno ſacra facere deosue colere alienos.

3. *annua*] Id eſt, ſingulis annis recurrentia. Virgilius *Georg. I. 338. annua ſacra.* Ouidius *Metam. X. 431. annua feſta;* Cicero *lib. 1. ad Attic. epiſt. 18.* vocat *anniuerſaria ſacra.* Sic Ouidio *Triſt. V. 5. 1.* memoratur *annuus natalis*, & Maroni *Georg. I. 216. annua cura*, hoc eſt, quae ſingulis annis certo tempore adhibetur.

3. Sa-

(d) *Bibl. Graec. II. 13. p. 504. ſq. III. 15. p. 411. & IV. 18. 1. p. 591.*

3. *Saturni*] Scilicet literati in Saturnalibus ſe inuicem exercere aſſolebant curioſis quaeſtiunculis: cuius rei locupletiſſimum teſtem ſe praebet Aulus Gellius *Noct. Att. lib. XVIII. cap. 2.* Et quis neſcit, in Macrobii *libris Saturn.* eruditum exhiberi conuiuium?

3. *tempora Feſta*] Sic Tacitus *Germ. XL. 6: feſta loca;* Virgilius AEn. II. 249: *feſtâ fronde;* Ouidius *Triſt. V. 12. 8: feſtos choros.* Idem *Triſt. III. 1. 43.* inquit: *Ipſane* (domus) *quod feſta eſt, an quod facit omnia feſta?* Nec moretur lectorem, quod duo adiectiua vni iuncta ſunt ſubſtantiuo: *annua tempora feſta.* Nec enim inſolens Latinis hoc eſſe, exemplis demonſtrauit doctus ille, ſed vtinam modeſtior! *Ariſtarchus Anti-Bentleianus p. 28. ſqq.*

4. *perpetuô*] Ne hoc quidem praetereundum duxi, quod haec vox hic non ſit aduerbium, ſed nomen cum *ludo* connectendum. Sic *perpetua oratio* Cornelio Nepoti *XV. 5. 1.* & Ciceroni *prooemio in Verrem p. m. 219.* eſt, quae non interrumpitur. Curtius etiam *v. 4. 5.* dixit *perpetua montium iuga,* & *v. 4. 24. perpetuam* (id eſt, non interruptam) *ſepem.*

6. *deliras*] *Delirare* proprie dicuntur ſenes, dum repueraſcunt ſecundum vetus illud: *Bis pueri ſenes.* Vnde *delirus ſe-*

nex & *anus delira* apud Ciceronem. *Senilis ſtultitia*, clare ait idem *lib. de ſeneƈt. cap. XI. DELIRATIO appellari ſolet. Profecto*, inquit ille apud Plautum *Epid. III.3.11. deliramus interdum ſenes.* Etiam Terentius *Adelph. IV.7. extr.* meminit *ſenis delirantis*, accuratiſſime exprimens Graecorum conuicium, *ſenem κρονόληρον* appellantium, teſte Plutarcho *paedag. XVII. 19.* Illuſtris etiam locus eſt in Gellii *Noctibus Atticis lib. I. cap. 19.* vbi *delirare* exponitur per *aetate deſipere.* Deinde & aegroti, cum mente capiuntur, *delirare* dicuntur. Lactantius noſter *cap. 10. de ira Dei §. 3: Coecus & excors fuit, qui ea loqueretur, quae nec aeger quisquam delirare, nec dormiens poſſit ſomniare.* Pari modo Plautus *Ampbitr. II. 2. 64: Haec quidem deliramenta loquitur. Pauliſper mane, dum edormiſcat vnum ſomnum.* Idem *Capt. III. 4. 67: Iam deliramenta loquitur, laruae ſtimulant virum.* Rurſus *Menachmis V. 5. 21: Audin' tu, vt deliramenta loquitur? Quid ceſſas dare potionis* (medicae) *aliquid?* Eſſe autem has voces mere Graecas a λῆρος, non ſolum ex ſuperiore Plutarchi loco patet, ſed multo magis ex Plautino illo *Poen. I. 1. 9: Gerrae germanae atque aedepol liroe, liroe*, hoc eſt, λῆροι. Recte itaque ad h. l. Taubmannus p. 882. inde deducit *delirandi* verbum: id quod & Becmannus facit

facit *lib. de orig. Lat. ling. p. 646.* item in *Lexico philologico* Martinius. Vt adeo errent, qui cum *Pinciero Parerg. philol. lib. I. cap. 26.* & Voſſio in *Etymologico* contendunt, *delirare* proprie dici de agricolis.

7. *cum ſtreperet*] De tumultuoſis ſermonibus id verbi vſurpari aſſolet. Curtius *IV. 9. 20: obſtrepebat mutuus clamor.* Cicero *orat. pro Marcello cap. 3: Huiusmodi res, dum audiuntur, obſtrepi clamore militum videntur.* Curtius *VIII. 9. 25: cantu ſeriis rebus obſtrepere.* Virgilius *ecl. IX. 36.* de miſero poëta: *interſtrepit anſer olores.* Curtius *IV. 2. 12: omnia belli apparatu ſtrepunt.* Virgilius AEn. *VIII. 2: rauco ſtrepuerunt cornua cantu.*

7. *late*] Id eſt, longe lateque ſonus colloquentium diſſeminabatur. Ouidius *Triſt. III. 10. 56: vicinam late depopulatur humum.* Apud Virgilium *AEn. VIII. 14. late increbreſcere nomen* dicitur. Vid. ibidem III. 466.

7. *madidae*] Id eſt, ebriae. Plautina appellatio. A Plauto enim *Aſin. V. 2. 7. & 9.* homo *madidus*, id eſt, ebrioſus, opponitur homini *ſicco*, id eſt, ſobrio. Apud eundem *Aulul. III. 6. 36: Ego te reddam hodie probe madidum*, id eſt, vti *v. 38.* exponitur, *te vino deponam*, hoc eſt, tantum vini te bibere cogam, vt humi te proſtratura ſit ebrietas. Rurſus ille Comicus *Moſt. I. 4. 18: Madet*

homo, id eſt, *ebrius eſt*, vt diſerte explicatur v. 28. Iam intelligi iocus Plauti poteſt, *Amphitr. III. 4. 18: Faciam*, inquientis, *vt ſit madidus ſobrius.*

7. *madidae facundia linguae*] Scilicet vt Phocylides in Corpore Graecarum gnomarum, quod Criſpinus edidit. *p. 113.* ait:

Χρὴ δ' ἐν ΣΥΜΠΟΣΙΏΙ κυλίκων περινισσομενάων
Ἡδέα κωτίλλοντα καθήμενον οἰνοποτάζειν,

hoc eſt,

Conuenit autem in ſympoſio ſcyphis circumeuntibus ſuauiter garrientem & ſedentem vinum bibere. Foecundi calices, ait Horatius *lib. I. epiſt. 5. v. 19. quem non fecere diſertum?*

8. *verboſa cohors*] Id eſt, garrula. Ouidius *Triſt. III. 12. 18: verboſi garrula verba fori.*

9. *magno neſcio*] Vulgata editio ſic: *Neſcio quas poſſim magno de nomine nugas.* Vbi gloſſa codicis Anglicani primi: *Magno de nomine, id eſt, Saturni.* Inepte, ſi quid iudico. Fuiſſe, qui *Conſtantinum Magnum* his verbis innui crederet, didici ex *Nouis liter. Lipſ. A. 1720. p. 156.* Sed nec haec erudita eſt coniectura. Scilicet non explicandus hic verſus eſt, ſed emendandus. Ex *de nomine* facio *de carmine*, quod aeque, vt ſupra *v. 1.* & infra *v. 15.* poſitum eſt pro *carmine*, Africana loquendi

di ratione, quam illuſtrabo ad *v. 12.* Innuit ſcilicet poëta, eruditulos illos combibones meros verſus eſſe locutos, eaque re ſe & ipſum compulſum *feciſſe verſus ſubitô de carmine*, vti *v. 15.* loquitur. Iam quid faciemus τῷ *magno?* Enimuero nullus dubito huic voci principem huius verſus locum tribuere, & ſic reſcribere: *ſtudio ſermonis inepti Magno neſcio quas paſſim de carmine nugas.* Τὸ *magno* igitur iunge cum *ſtudio.* Sic nihil ſupererit obſcuri. Facile autem video, poſtquam τὸ *carmina* deprauatum fuiſſet in *nomine*, adeoque τὸ *magno* huic voci coniungeretur ſtructurâ grammatica, ſciolum quempiam ementandi ſcilicet cauſa τὸ *magno neſcio quas* mutaſſe in ſonantius illud: *neſcio quas magno. De carmine* igitur hoc loco eſt Vers-Weiſe ſiue in Verſen.

10. *eſt meditata*] Vulgatam ſcripturam: *eſt meditata diu, ſed friuola multa locuta eſt*, quae neſcio quid ineptiae habet, ita cenſui corrigendam: *eſt meditata: diu ſic friuola multa locuta eſt.*

10 *friuola*] Eadem voce uſus Auſonius pariter aenigmata *epiſt. IV. v. 65.* vocat *myſteria friuola. Accipe*, inquit, *congeſtas myſteria friuola nugas. Friuolus* autem idem hoc loco eſt, quod ſupra *v. 6. delirus.* Sic

& Suetonius in *Claudio cap. 14: friuolus* (homo) *amentique ſimilis.*

11. *inſtar*] Hoc loco manifeſtò eſt ſubſtantiuum nomen. Sic Virgilius *AEn. VI. 865: Quantum inſtar in ipſo eſt!* id eſt, vt Phaedrus *I. 7. 2.* id exprimit: *O quanta ſpecies!* Ouidius *e Ponto II. 3. 42: Haec vita habet inſtar mortis.* Idem *Triſt. III. 4. 67: gratique erat inſtar honoris*; & 8. 21: *inſtar mihi* (hoc erit) *muneris ampli.* Virgilius *AEn. II. 15: equus inſtar montis*, & III. 637: *Phoebeae lampadis inſtar.* Recte Pſeudo-Auguſtinus in Grammatica *p. 231: INSTAR eſt ſimilitudo, & habet tres caſus tantum, & eſt numeri tantum ſingularis.* Saluianus *lib. I. de gub. Dei p. 27: Iam quaſi ad inſtar futuri iudicii* (Deus malos) *iudicauit.*

12. *ponere*] Id eſt, quaeſtionem proponere ſoluendam De illo vocis *ponere* vſu iam dixi in editione mea Quintilianei Dialogi *de cauſis corruptae eloquentiae p. 179.* Addo iam Phaedri locum III. 14. 8: *quaeſtionem ponere*; & Ciceronis illud e *lib. I. Quaeſt. Tuſcul. cap. 4: Ponere iubebam, de quo quis audire vellet, & id aut ſedens aut ambulans diſputabam.* Vid. idem *lib. I. de orat. cap. 22.*

12. *de verſu*] Sic equidem reſcripſi pro *diuerſe*, vel quod Caſtalio exhibet, *diuerſa.* Scilicet *de verſu* hic idem ſignificat,

cat, quod ſupra *v. 1.* & *9.* infra *v. 15. de carmine*, Versweiſe. Res ipſa emendationi meae patrocinatur. Nam & Lactantius haec aenigmata ſua meris verſibus conſcripſit, & *v. 15.* caeterorum imitatione ſe id feciſſe fatetur. Illud vero hic mihi faciendum video, vt lectorem meum doceam, vnde minus vſitata illa formula: *de carmine, de verſu*, (addo infra *aenigm. I. 1: de ſummo; IV. 1: de viribus; XCV. 1:* de fraude:) originem trahat. Scilicet eſt is *Africiſmus*, hoc eſt, Afris ita loquendi moris erat: id quod vel ex illis exemplis, quae Barthius infra producet ad aenigma *XCV. 1.* luculenter colligitur. Haec dum meditor, peropportune mihi ſe offert erudiriſſima Tertullianei Apologetici editio, quae nuper in publicum prodiit, meque in ſententia mea reddit confirmatiorem. Indice enim illo operi adiecto duce ſequentia loca, quae huc pertinent, reperio. *Cap. 1. p. 8. de comperto*, id eſt, ideo, quia compertum habent, caetera. *Cap. V. p. 61: Domitianus* (fuit) *portio Neronis de crudelitate*, hoc eſt, crudelitate erat alter Nero. *Cap. XI. p. 121: Quot potiores viros apud inferos reliquiſtis? aliquem de ſapientia Socratem, de iuſtitia Ariſtidem, de militia Themiſtoclem, de ſublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Croeſum, de eloquentia Demoſthenem?*

Cap. XVI. p. 172: *ne quid quaſi de conſcientia* (id eſt, ſcientes volentesque) *praeteriſſemus.* Cap. XXXIV. p. 291: *Si non de mendacio erubeſcit adulatio, timeat ſaltim de infauſto.* Cap. XXIX. p. 270: *Tota templa de nutu Caeſaris conſtant.* Cap. XXVIII. p. 265: *Ipſe de Olympo Iupiter.* Cap. XXXVIII. p. 315: *Prohibendarum factionum cauſa de prouidentia conſtat modeſtiae publicae.* Cap. XXI. p. 198: *vt erubeſcat de filii nomine aut de patris ſemine.* Cap. XXXV. p. 294: *obſeruant diſciplinam de Caeſaris reſpectu.* Cap. XLVI. p. 385: *Neque de ſcientia neque de diſciplina* (nos Chriſtiani a philoſophis) *aequamur.* Cap. XLVII. p. 405: *fabulae, quae de ſimilitudine fidem infirmarent veritatis. De ſimilitudine,* inquit ad h. l. Hauercampius, *id eſt, propter ſimilitudinem. Tertulliano familiaris locutio.* Cap. XLVI. p. 376: *quibus comparamur de diſciplina.* Cap. VI. p. 76: *de quo maxime errauit antiquitas.* Sed & apud alios ſcriptores occurrunt formulae huius generis. *Surgunt de nocte latrones,* inquit Horatius. Sic *de improuiſo, de integro, de induſtria, de compacto, de more* dicunt Latini, ſatis exemplorum ſuppeditante Turſellino Schwarziano. Ouidius *Triſt. I. 3. 121: laeua de parte,* zur lincken Seite. Curtius *VIII. 3. 7: de caetero.* Virgilius *AEn. 1. 322: de more;* quod rurſus habet *III, 65* & *369.*

369. Curtius *V. 7. 2.* & *VIII. 3. 8: de die.* Etiam *de ſubito* veteres dixiſſe pro *ſubito*, docet Nonius Marcellus.

12. *viciſſim*] Id eſt, per vices. Ita Virgilius *ecl. III. 28: Quid poſſit vterque, viciſſim experiamur.*

13. *foede*] Id eſt, turpiter. Curtius *IV. 16. 30: foedè* (ei) *fugiendum fuit.* Liuius *XXX. 6.* & *Florus I. 1. 13: foeda fuga*, id eſt, turpis.

14. *attulerim*] Vulgo legitur *attuleram.* Sed codices duo *attulerim* habent, idque rectiſſime. *Qui* hoc loco cauſale eſt. Sic Cicero *lib. XVI. Famil. epiſt. 1: peccaſſe mihi videor, qui a te diſceſſerim.* Ouidius *Triſt. II. 49: gaudet miles, qui vicerit hoſtem.* Cicero *orat. pro Quintio p. 6: vna in re paulo minus conſideratus, qui ſocietatem cum Naeuio fecerit.* Idem *orat. pro Roſcio Amer. 119: Intelligo, me errare, qui, cum capiti mederi debeam, reduuiam curem.* Ibidem p. *123. Fateor, me erraſſe, qui hoc maluerim; fateor, inſaniſſe, qui cum illis ſenſerim.*

15. *ſubitô de carmine*] Id eſt, extemporali carmine. Vide, quae annotaui ad *v. 12.* Eſt vero *τὸ ſubito* caſus ſextus. Pari modo Quintilianus *de cauſ. corr. eloq. X. 10: excuſatur fortuitae* & *ſubitae dictionis impetu.* Gellius *IX. 5.* vocat *dictionem ſubitariam.* Porro ſcias, lector, me vulgatam ſcripturam

ram

ram correxiſſe, quae haec eſt: *ſubito de carmine vocis. Inſanos inter*, caetera. Statui punctum poſt *carmine*. Hinc reſcribo: *Voces inſanas inter*. Quae emendatio mihi videtur ſatis luculenta.

16. *Inſanas inter*] Deſumtum hoc videtur e Theognide, in cuius carmine *v.* 627. *ſq.* haec leguntur:

> Αἰσχρόν τοι μεθύοντα παρ᾽ ἀνδράσι νήφοντ᾽ εἶναι,
> Αἰσχρὸν δ᾽ εἰ νήφων παρ᾽ μεθύουσι μένῃ,

quod ita reddidit Ioſephus Scaliger in *Opuſculis variis* a Caſaubono editis *p.* 246:

> *Vinoſum non eſt fas ſiccos inter adeſſe:*
> *Siccum vinoſos inter adeſſe nefas.*

17. *quod non ſapit*] Vulgata editio male: *quid non capit ebria Muſa?* Primum placebat mihi Perionii ſcriptura: *ſi non ſapit ebria Muſa.* Sed cum quatuor codices MSS. habeant *quod*, religio mihi fuit, ab iis diſcedere, quippe cum τὸ *quod* huic loco omnino ſit accommodatum.

AENIGMA

AENIGMA I.

GRAPHIVM ſiue STYLVS.

De ſummo planus, ſed non ego planus in imo.
Verſor vtrinque manu, diuerſa & munera fungor:
Altera pars reuocat, quicquid pars altera fecit.

VARIANTES LECTIONES.

A. de graphio ſcriptoris. (*Et ſic omnes tituli in cod. A. ſunt inſcripti, e.g.* de arundine, de claue, *&c.*) 2. A. & C. verſor vtrumque manu diuerſo munere fungor. D. verſor vtrumque, manu diuerſa & munera fungor. E. verſor vtraque manu, diuerſa & munera fungor. Per. Verſus vtraque manu diuerſo munere fungor.

ANNOTATIONES.

GRAPHIVM] Dufreſnius in *Gloſſario Lat. med.* teſtatur v. *graphium*, in quodam huius Sympoſii codice hoc lemma ſcriptum eſſe: *grafio.* Fortaſſe ita ſcriptum erat: *de grafio*, vt in cod. Anglic. *de graphio.* Acute vero animaduertit Cl. Geſnerus, hunc eſſe debere titulum: *Stylus*; quia *v. 1.* appellatur *planus*, quod ad τὸ *graphium* non quadrat. Adſcripturus hic eram elegantem ſtyli ſcriptorii deſcriptionem e Pruden-

Prudentii *Periſtephanon hymno IX. v. 51-54.* niſi iam Caſtalio illos produxiſſet verſus. Quare malo ipſam graphii imaginem oculis haec legentium ſubiicere. Scias igitur, lector, duas priores, quas in adiecta (α) tabula vides, figuras exprimere duos ſtylos antiquiſſimos, quos oculis ſuis vſurpauit Laur. Pignorius, & in ſuo *de ſeruis* opere depinxit *p. 224;* tertiam exhiberi a Montefalconio *lib. I. Palaeographiae Graecae cap. 3. p. 21.* De voce *graphium* adeatur *Dufreſnius*, & Fabri *Lexicon*, item Hoffmanni *Lexicon vniuerſale* v. *graphium* & *ſtylus:* vt mittam *Pitiſci Lexicon Antiquitatum.*

2. *vtrinque*] Recte ſic emendauit ediditque Caſtalio: atque ego hanc ſcripturam confirmo Horatiano illo *lib. 1. epiſt. 18. v. 9: Virtus eſt medium vitiorum & vtrinque reductum.*

2. *diuerſa & munera fungor*] Vulgo ſic editum eſt: *diuerſo & munere fungor.* Sed duos ſequens codices MSS. libens merito reſcribo: *diuerſa & munera fungor.* Sic Corn. Nepos *XIV. 1. 4: Datames militare munus fungens;* & Suetonius in *Auguſto cap. 35: munera ſenatoria fungi.* Tacitus etiam *Ann. III. 2. 1: vt ſuprema erga memoriam filii ſui*

(α) *Vid. Tab. I.*

ſui munera fungerentur. Idem *IV. 38. 1: hominum officia fungi.* Ex antiquioribus Latii ſcriptoribus complura huius generis exempla exhibuit Ianus Laurembergius in *Antiquario* ſuo *p. 190.* Veniebat & in mentem, pro *&* reponere *at*, *diuerſa at munera fungor*, vt reſpondeat τῷ *ſed*, quod primo verſu legitur. Nec dum iſta mihi coniectura diſplicet. Nolui tamen ſcripturam vulgatam immutare, quippe & ipſam tolerabilem.

II.

ARVNDO.

Dulcis amica Dei, ripae vicina profundae,
Suaue canens Muſis, nigro perfuſa colore
Nuntia ſum linguae digitis ſtipata miniſtris.

VARIANTES LECTIONES.

1. A. Dei ripae vicina profundae. *Gloſſa ſuperſcripſit* profundis. C. amica ripae. D. Dii ripae innata profundae. E. nimium vicina profundae. Per. Litora ſemper amo ripis vic. 2. A. profuſa. *Gloſſa tamen reſcripſit* perfuſa. E. canis. 3. C. & Per. magiſtri.

ANNOTATIONES.

1. *Dulcis amica Dei*] *Panem* dicit poëta, fiſtulae paſtoritiae (quae & *ſyrinx* vocatur

catur atque *ſyringia*, ſub cuius titulo & figura exſtat carmen Theocriti,) inuentorem, ſi credimus Maroni *ecl. II. 32.* ita ſcribenti: *Pan primus calamos, cerâ coniungere plures inſtituit;* & rurſus *ecl. VIII. 24:* *Pan primus calamos non paſſus inertes.* Qua occaſione Pan artem fiſtulâ canendi inuenerit, Ouidius *lib. 1. Metam. v. 690. ſeqq.* docet. *Inter Hamadryadas*, inquit, *celeberrima Nonacrinas Natas vna fuit, Nymphae SYRINGA vocabant. - - Pan videt hanc.* Pergit Ouidius, *fugiſſe Nympham, Panaque*, qui eam inſectabatur, *cum prenſam ſibi iam Syringa putaret, Corpore pro Nymphae calamos tenuiſſe paluſtres: Dumque ibi ſuſpirat, motos in arundine ventos Effeciſſe ſonum tenuem ſimilemque querenti; Arte noua vocisque Deum* (Panem) *dulcedine captum Hoc mihi colloquium tecum, dixiſſe, manebit; Atque ita diſparibus calamis compagine cerae Inter ſe iunctis nomen tenuiſſe puellae.* Lactantius igitur noſter, cum *arundinem* vocat *dulcem Dei amicam*, vtrumque reſpicit, & fiſtulam, Panis inuentum, & *Syringem* Nympham, quam Pan cupiebat *amicam* ſuam (Graeci quoque ἑταίραν appellitant,) fieri. Addo, *fiſtulam* Pani ſacratam, ſaepeque a paſtoribus pro donario ſuſpenſam fuiſſe. Teſtis mihi Tibullus eſt *lib. II. eleg. V. v. 29. ſeqq.* ita canens.

Pen-

Pendebatque vagi paſtoris in arbore VOTVM
Garrula ſylueſtri FISTVLA ſacra Deo,
Fiſtula, cui ſemper decreſcit arundinis ordo,
Nam calamus cera iungitur vſque minor.

1. *ripae vicina profundae*] En vulgatam ſcripturam: *ſemper vicina profundis.* Conſenſus codd. MSS. eam mutare me coëgit.

2 *ſuaue canens Muſis*] Nam & Muſas *fiſtulâ* ceciniſſe, poëtae auctores ſunt. Auſonius *Idyllio XX.* 4: *Dulciloquis calamos Euterpe flatibus vrget.* Vnde Virgilius carmen paſtoritium fiſtulâ decantatum *Muſam* appellauit. *Sylueſtrem*, ad Tityrum *ecl. I.* 2. inquiens, *tenui Muſam meditaris auenâ.*

2. *nigro perfuſa colore*] *Arundinem* calamis ſcriptoriis materiam praebuiſſe, notum eſt. Perſius *ſat. III.* 11. 12. 13. 14:

Inque manus chartae, nodoſaque venit arundo.
Tunc queritur, craſſus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infuſa vaneſcat ſepia lympha:
Dilutas, queritur, geminet quod fiſtula guttas.

Sic Cicero *lib. II. ad Quintum fratrem epiſt.* 14: *calamo & atramento temperato.* Non poſſum hic non adſcribere elegans in calamum ſcriptorium epigramma ex *Anthol. lib. I. cap.* 15:

Ἤμην ἀχρεῖον κάλαμος φυτόν. ἐκ γὰρ ἔμβιο
Οὐ σῦκ' οὐ μῆλον φύεται οὐ σταφυλή.
Ἀλλά μ' ἀνὴρ ἐμύησ' ἑλικωνίδα λεπτὰ τορή-
σας
Χείλεα καὶ στεινὸν ῥοῦν ὀχετευσάμενος.
Ἐκ δὲ τοῦ, εἴτε πίοιμι μέλαν ποτόν, ἔνθεος οἷα
Πᾶν ἔπος ἀφθέγκτῳ τῷδε λέγω στόματι.

3. *digitis ſtipata miniſtris*] Ita ſcripſi pro vulgato : *digitis ſignata magiſtris. Nuntia*, inquit, *ſum linguae*, id eſt, vbi ob abſentiam eius, quem alloqui quis vult, linguae nullus eſt vſus, ego tanquam vicaria linguae adhibeor *digitis ſtipata miniſtris.* Digitis enim calamo circumdatis ſcribimus. Congruit huc Ouidii illud *lib. V. Triſt. eleg. 13. v. 29. 30:*

Sic ferat ac referat tacitas nunc litera voces,
Et peragant linguae charta manusque vices.

Idem *III. 7. 2:*

Valde ſalutatum ſubito perarata Perillam
Litera, ſermonis fida miniſtra mei.

Idem in epiſtola Leandri ad Hero *v. 24:*

Eſt tamen (dextra mea) *& ſenſus fida miniſtra mei,*

Scribendo ſcilicet, vt praedixit poëta *v. 21.*

III.

ANNVLVS CVM GEMMA.

Corporis extremi non magnum corpus adhaeſi:
Ingenitum dicas: ita pondere nemo grauatur:
Vna tamen facies plures habitura figuras.

VAR. LECT.

A. De anulo congemmato. Per. Annulus. 1. C. inhaeſi. Per. inhaeſit. 3. A. Seruo tamen facies.

ANNOTATIONES.

ANNVLVS CVM GEMMA] *Annulum gemmatum* vocat *Liuius lib. I. cap. XI.* Vulgo dicimus *annulum ſignatorium.* Curtius *VI. 6. 6: Literas veteris annuli gemmâ obſignabat.* Idem *III. 7. 12: Epiſtola obſignata annulo, cuius ſignum haud ſane notum erat.* Ouidius *Triſt. V. 4. 5: Nec qua* (ego epiſtola) *ſignabar ad os eſt Ante, ſed ad madidas GEMMA relata genas.*

2. *Ingenitum*] Id eſt, innatum, non arte inſitum.

3. *Vna tamen*] Hoc eſt, unam duntaxat faciem gemma habet, ſed in illa facie exſtant multae figurae inſculptae. Sic Suetonius in *Vita Neronis cap. 46.* refert, *Sporum habuiſſe annulum, cuius gemmae ſculptura erat*

Proſerpinae raptus. Et Plinius *lib. X. epiſt. 16: Signata*, inquit, *eſt annulo meo, cuius eſt apoſphragiſma quadriga.* Plura vide apud Kirchmannum *de annulis cap. 13.*

IV.

CLAVIS.

Virtutes magnas de viribus affero paruis:
Pando domos clauſas, iterum praecludo patentes.
Seruo domum domino, ſed rurſus ſeruor ab ipſo.

VAR. LECT.

1. D. & E. & Cam. Virtutes magnas. C. diuitibus effero parua. Per. Virtutes magnas locupletibus offero parua. 2. A. recludo, *adiiciente gloſſā* ſecludo. Cam. concludo. D. recludo. Per. & Cauſ. claudo domus. C & E. & Cam. domos. C. iterumq. claudo. 3. E. domini. Cam. rurſum — illo.

ANNOTATIONES.

1. *Virtutes magnas*] Vulgo editum eſt: *Virtutes multas.* Sed quia quatuor codices habent *magnas*, ab iis non fuit diſcedendum.

de viribus] Africana loquendi ratio, de qua ſupra dictum ad *v. 12. Praefationis.*

2. *do-*

2. *domos*] Vulgata editio: *domus*. Ego ſecutus ſum duos codices MSS.

2. *praecludo*] Vulgatum *ſecludo* mutarat Caſtalio in *ſed cludo*. Verum quia optimus Anglicanorum codicum habet *recludo*, cui aſſentitur alius codex, non dubitaui hinc facere *praecludo*: in eaque ſententia alius me confirmauit codex, qui habet *iterumque*, vnde ſcilicet ob ſcripturae viciniam colligo, veram lectionem eſſe *iterum prae*. Eadem dictione Propertius vſus *lib. II. eleg. 5. v. 22: Nec mea praecluſas fregerit ira fores.* Quintilianus *Inſtit. orat. lib. X. cap. 5: praecluſam nobis a prioribus viam.* Sic Florus *lib. III. cap. 6.* §. *1: Cilices maria bello praecluſerant:* pro quo Cicero ait *Orat. pro lege Manil. cap. 12. & 18: clauſa erant nobis omnia maria.*

CLAVIS.] Graecam huius aenigmatis verſionem, quam dextro Apolline confecit Ioach. Camerarius, exhibet Reuſnerus in *AEnigmatographia p. 256.* En eam:

Εἰμὶ μὲν ὐ μεγάλη, μεγάλην δ' ἐπικειμένη ἀλκὴν,
Ὥςε θύραν κλεῖσαι κλεισθεῖσαν τ' αὖθις ἀνοῖξαι.
Οἶκον τ' ἀσφαλίσασα φυλάττομαι ἔνδος ἐκείνε.

 V. CA-

V.
CATENA.

Nexa ligor ferro multos habitura ligatos:
Vincior ipſa prius, ſed vincio vincta viciſſim:
Exſolui multos, nec ſum tamen ipſa ſoluta.

VAR. LECT.

1. A. multas, *gloſſâ tamen id ſtatim mutante in* multos. 2. A. ſed, *gloſſâ ſubſtituente* ſic. *Eadem gloſſa pro* vincta *mauult* cuncta. 3. A. & D. & E. ſed ſolui. D. nexu tamen.

ANNOT.

3. *exſolui*] Vulgatum eſt: *Et ſolui.* Reſcribo *exſolui*. Sic & Plautus *Truc IV. 3. 10*: *Si verum mihi eritis faſſae, vinclis exſoluemini.* Liuius *lib. IX. cap. 8*: *Exſoluamus religione populum, ſi quâ obligauimus.* Tacitus *Hiſt. III. 12. 6*: *exſoluta ſtatim vincula.* Idem *Annal. V. 3, 2*: *Tum velut frenis exſoluti proruperunt.*

VI.
TEGVLA.

Terra mihi corpus, vires mihi praeſtitit ignis,

Eſt-

Eſtque domûs tecto ſedes mihi ſemper in alto,
Et me perfundit, qui me cito deſerit, humor.

VAR LECT.

Per. Tegula coctilis. 1. A. mihi eſt. 2. A. ſedes eſt ſed ſemper. C. & D. & E. ſemper in imo. P. Alta domus quaero, ſedes eſt ſemper in imo. Per. Alta domus quaerit, ſedes eſt ſemper in imo. 3. A. perfudit. C. Ac ego perfundor, ſed. Per. Perfundor liquidis, ſed me.

ANNOT.

2. *Eſtque domus*] Corruptiſſimam ecce lectionem vulgatam: *Eſt domus in alto, ſedes eſt ſemper in alto.* Res ipſa mihi dux fuit ad veram ſcripturam. Adde, quod & haec infra leguntur *aenigm. L. 3: tecto concuſa ſub alto.*

VII.
FVMVS.

FVnduntur lacrymae, ſed non eſt cauſa doloris.
Eſt iter ad coelum, ſed me grauis impedit aër.
Et qui me genuit, ſine me non naſcitur ipſe.

VARIANTES LECTIONES.

3. E. Et me qui genuit.

ANNOT.

1. *Funduntur*] Vulgata ſcriptura. *Sunt mihi, ſunt lacrymae.* Quae ſecutus veſtigia reſcribendum duxi: *Funduntur lacrymae.* Virgilius *AEn. III. 348: Et multum lacrymas verba inter ſingula fundit.* Idem *II. 271: largos effundere fletus.* Ouidius *Triſt. IV. 1. 95: Saepe etiam lacrymae ſunt me ſcribente profuſae.* Plura exempla non addo, quia ne iſta quidem neceſſaria. Adſcribam potius diſtichon *Reuſneri* de *fumo* ex ipſius *AEnigmatographiae* Parte ſecunda *p. 70*:

Lacryma multa mihi, ſed nulla eſt cauſa doloris:
Coeli affecto viam, ſed grauis aër obeſt.

VIII.

NEBVLA.

Nox ego ſum facie, ſed non ſum nigra colore.
Inque diem mediam tenebras tamen affero mecum,
Nec mihi dant ſtellae lucem, nec Cynthia lumen.

VAR. LECT.

A. De nube. 2. A. aufero. E. Inque diem mediam. 3. A. lucem ſtellae. C. ſtellae lumen — lucem. Per. ſtellae proprium — lucem.

ANNOT.

ANNOT.

2. *Inque diem*] Ita vulgatum erat: *Inque die media.* Sed cum haec dictio non videatur Latina ſatis, approbaui vnius codicis MS. ſcripturam optime congruentem: *inque diem mediam.*

IX.

PLVVIA.

Ex alto venio, longa delapſa ruina.
De coelo cecidi medias transmiſſa per auras:
Et ſinus, effudit qui me prius, ipſe recepit.

VAR. LECT.

1. E. veniens. 2. C. dimiſſa. Per. demiſſa. 3. A. excipit, qui me ſimul recipit ipſe. *Ad* excipit *gloſſa adſcripſit* offendit. Per. Excepitque ſinus.

ANNOT.

3. *Et ſinus*] Hic verſus vulgo legitur corruptiſſimus: *Sed ſinus excepit, qui me ſimul ipſe recepit.* Verae ſcripturae veſtigia ſeruauit gloſſa, quae in antiquiſſimo cod. MS. ad *excipit* adiecit *offendit.* Statim animadverti, prius ſcriptum fuiſſe *effundit:* vnde feci *effudit*, ac totum verſum ſic reſtitui: *Et ſinus, effudit qui me prius, ipſe recepit.*

X.

GLACIES.

VNda fui quondam, quod me cito credo futuram:
Nunc rigidi coeli duris connexa catenis
Nec calcata pati poſſum, nec nuda teneri.

VAR. LECT.

1. Per. fui nuper. 2. E. Non rigidi. Cauſ. Nec rigidi.

ANNOT.

3. *Nec calcata pati poſſum*] Hoc eſt, nec, cum calcor, id pati poſſum. Glacies enim in plateis iacens ingreſſu hominum frangitur. Hanc enim reſpicit poëta, qui alioquin probe nouerat, etiam *calcari* poſſe flumina glacie concreta. *Durum calcauimus aequor*, inquit e Ponto reſcribens Naſo *Triſt. III.* 10. 39. Ibidem v. 31: *Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, & vndas Frigore concretas vngula pulſat equi, Perque nouos pontes ſubter labentibus vndis, Ducunt Sarmatici barbara plauſtra boues.* Sic & Virgilius *Georg. III.* 360:

Concreſcunt ſubitae currenti in flumine cruſtae,
Vndaque iam tergo ferratos ſuſtinet orbes,
Puppibus illa prius, patulis nunc hoſpita plauſtris.

XI.

XI.

FLVMEN & PISCIS.

EST domus in terris, clarâ quae voce reſultat:
Ipſa domus reſonat, tacitus ſed non ſonat hoſpes:
Ambo tamen currunt, hoſpes ſimul & domus vnà.

VAR. LECT.

A. De pluuio piſce. Per. Fluminei piſces.

ANNOT.

PISCIS.] *Piſcem fluuiatilem* vocat Curtius VII. 4. 24.

1. *voce reſultat*] Nam aquae ſtrepitus ferit aures praetereuntium, item adiacentium. Vnde Virgilius *ecl. I. 56: Saepe leui ſomnum ſuadebit inire ſuſurro.* Horatius *Epod. II. 27: Fonteſque lymphis obſtrepunt manantibus, Somnos quod inuitet leues.*

2. *tacitus ſed non ſonat hoſpes*] Notum vetus illud: ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων, magis mutus, quam piſcis.

XII.

NIX.

PVluis aquae tenuis modico cum pondere lapſus.
Sole madens, aeſtate fluens, in frigore ſiccus,
Flumina facturus totas prius occupo terras.

VAR. LECT.

1. E. lapſa. 2. A. & C. pluens. D. ſole madens, aeſtate madens. E. ſicca. 3. E. factura.

ANNOT.

2. *aeſtate*] *AEſtatis* vox latiori hic ſenſu capitur, vt *vernum tempus* comprehendat. Loquitur enim poëta de *niue verno ſole ſoluta*, quam vocat Ouidius *Triſt. III.* 12. 27. Pari modo Cicero *lib. de ſenect. cap.* 19. tam amplo ſenſu vocabulum *autumni* adhibet, vt *hyemem* complectatur ſinu ſuo. Recordor hic Taciti, in *Germania* ſua *cap. XXVI. extremo* teſtantis, Germanos veteres annum in tres duntaxat partes, *hyemem, ver,* & *aeſtatem*, diuiſiſſe, *autumni nomen nullum habere.*

XIII.

NAVIS.

Longa feror velox formoſae filia ſyluae
Innumerâ pariter comitum ſtipante caterua:
Curro vias multas veſtigia nulla relinquens.

VAR. LECT.

1. E. ferorque. D. formunſae. 2. A. *Gloſſa adiicit:* Innumerûm — hominum — caterua. C. & Per. Innumerâ p. c. ſtipante caterua. E. Innumera p. c. ſtipata caterua. 3. D. veſtigia multa.

ANNOTATIONES.

3. *Innumera*] vulgata lectio: *Innumeris pariter comitum ſtipata cateruis.* Elegi ſcripturam Perionii, & tertii codicis mei. Videtur enim poëta noſter ob oculos habuiſſe Virgilianum illud *AEn. I. 501: Pulcherrima Dido Inceſſit magna iuuenum ſtipante caterua.* Sed nec illius codicis ſcriptura illatina eſt, qui habet: *Innumerâ p. c. ſtipata cateruâ.* Nam & Curtius *X. 7. 17: ſtipatus ſatellitum turbâ.* Cicero quoque *Orat. pro Milone cap. 1: Non vſitatâ frequentia ſtipati ſumus.*

3. *Curro*] Hoc verbum etiam de *nauibus* vſurpari aſſolet. Ouidius *Triſt. I. 10. 5: curſu ſuperauimus Iſthmon.* Et *III. 9. 8: Nam rate,*

rate, quae - - per non tentatas prima cucurrit aquas. Virgilius *AEn. III. 191: Vela damus, vaſtumqae cauâ trabe currimus aequor.* Etiam Phaedrus *lib. IV. fab. 21. v. 7.* nauigationem appellat *curſum pelagium.* Sed nec ſoli ſic loquuntur poëtae. Etiam Nepos in *Miltiade I. 6: curſum* (nauigando) *direxit, quò tendebat.* Ad quem locum plura congeſſit exempla Ianus Gebhardus. Addo Camerarianam Graecam huius aenigmatis verſionem ex *AEnigmatographia* Reuſneriana *p. 257:*

Μακρὰ βιβῶσα, ταχεῖα, πολυπλόκος, ἔκγονος ὕλης,
Ἄχθεσσιν βεβριθῦια τρέχω μήκιστα κέλευθα,
Ὀυδεὶς δ᾽ ὀυδὲν ἑώρακ᾽ ἴχνος μαλφῶς προϊούσης.

XIV.

PVLLVS IN OVO.

Mira tibi referam noſtrae primordia vitae.
Nondum natus eram, nec eram tum matris in aluo:
Iam poſito partu natum me nemo videbat.

VAR. LECT.

Per. Pullus. 1. C. refero. 2. A. & D. nec eram genetricis in aluo. C. & E. nec eram iam matris. 3. Per. Cum poſito.

ANNOT.

ANNOT.

2. *nec eram tum matris*] Id eſt, Nondum eram natus, nec tamen tum eram in vtero matris. Et haec vocula *tum* aenigma facit concinnius: qua de cauſa vulgatam iſtam ſcripturam praefero alteri: *nec eram genitricis in aluo.* Camerarius hoc aenigma apud Reuſnerum *p. 260.* hiſce reddidit Graecis verſibus:

Θαῦμ' ἐρέω μεγ' ἐμῆς ζωῆς πρωτόσπορον ἀρχήν,
Ὅτι' ἀγένητος ἔτ' ἦν, μητρός τ' ἐν νηδὺ ἄπλαστος
Πρόσθ' ὠδινήθην, καὶ μ' ὅπως ὅτις ὄπωπε
Τικτόμενον, ζῶον δὲ καὶ ἀρτεμὲ εἶδεν ἐμ' ἠώς.

XV.

VIPERA.

Non poſſum naſci, ſi non occidero matrem.
Occidi matrem, ſed me manet exitus idem.
Id mea mors faciet, quod iam mea fecit origo.

VAR. LECT.

2. C. occido. E. me ſed manet. 3 A. mors patitur id mea fecit origo.

ANNOT.

ANNOT.

1. *Non poſſum naſci*] Plinius *lib. X. Hiſt. nat. cap. 62.* de vipera ſic ſcribit: *Tertia die intra vterum catulos excludit: deinde ſingulos ſingulis diebus parit, viginti fere numero: Itaque caeterae tarditatis impatientes, perrumpunt latera occiſâ parente.* Fabuloſum vero id eſſe & experientiâ falſum compertum, teſtatur Ioan. Pierius Valerianus *Hieroglyphicorum lib. XIV. cap. 20.* Caeterum eandem fabulam, & quidem fabuloſius multo, enarrat Prudentius in *Hamartigenia* ſua *v. 582. ſqq.*

- - - Sic vipera, vt aiunt,
Dentibus emoritur fuſae per viſcera prolis.
- - - Nam poſtquam ſemine adulto
Incipiunt calidis corpuſcula parua latebris
Serpere, motatumque vterum vibrata ferire,
AEſtuat interno pietatis crimine mater,
Carnificemque gemit damnati conſcia ſexûs
Progeniem, ſepti rumpentem obſtacula partus.
Nam quia naſcenti nullus patet exitus aluus,
Foetibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis prodit grex ille dolorum,
Ingreſſum vitae vix eluctatus, & ortum
Per ſcelus exſculpens. Lambunt natale cadauer

Reptan-

Reptantes catuli, proles dum naſcitur orba,
Haud experta diem, miſerae niſi poſthuma matris.

3. *faciet*] Ita reſcripſi pro vulgato *patitur*, quod quidem hic nullum admittit commodum ſenſum. Nec vero rarum eſt, librarios duas illas literas, *f* & *p*, permutare inter ſe, ac ſupra *aenigm. XI.* habuimus exemplum, vbi codicum meorum vnus *pluuio* exhibebat pro *fluuio*. Caeterum iſta verba: *Id mea mors faciet, quod iam mea fecit origo*, hunc habent ſenſum: Quod iam natiuitas mea fecit, vt me naſcente emoreretur mater, id olim mors faciet mea, naſcituris & aliis me moriente.

XVI.
TINEA.

Litera me pauit, nec, quid ſit litera, noui.
In libris vixi, nec ſum ſtudioſior inde.
Exedi Muſas, nec adhuc tamen ipſa profeci.

VAR. LECT.

3. D. Excidi. Per. nihil hinc tamen ipſe reporto.

ANNOTATIONES.

2. *ſtudioſior,*] Id eſt, doctior. Sic & Sappho Ouidiana ſuam orditur ad Phaonem epiſtolam: *Numquid, vbi adſpecta eſt*

 ſtudio-

ſtudioſae litera dextrae, Protinus eſt oculis cognita noſtra tuis? An, niſi legiſſes AVTORIS nomina Sapphus, caetera. Pari modo Quintilianus *de cauſ. corr. eloq. cap. XXI. 5: Omnium ſtudioſorum manibus verſantur accuſationes, quae* in Vatinium *inſcribuntur.*

3. *Exedi*] Auſonius *epigr. 22. Profeſſ. Burd. v. 3: exeſas tineis euoluere chartas.* Caeterum Lactantius noſter iſto: *exedi Muſas*, ſimul alludit ad Latinorum formulam, qua ſummam in ſtudiis literarum aſſiduitatem deſcribunt. Dicunt enim *vorare literas. Nos hic*, inquit Cicero *lib. IV. ad Attic. epiſt. 10. voramus literas cum Dionyſio.* Idem *lib. VII. epiſt. 3: Quid enim tibi faciam, qui illos libros deuoraſti?* Neque alienum eſt hoc loco illud Plauti *Aſin. III. 3. 59: Auſcultate atque operam date, & mea dicta deuorate*, hoc eſt, in intimos pectoris receſſus mea dicta recipite. Hoc ſenſu ſaeculo duodecimo Petrus quidam cognominatus fuit *Comeſtor*, quod ſuae aetati videretur omnem *comediſſe* ſapientiam atque deuoraſſe. Sic Germanis noſtris moris eſt dicere: Er hat alle Weißheit gefreſſen. Petrus igitur ille *Comeſtor* ſtylo praeſentis aeui dicendus foret *Petrus Polyhiſtor.*

3. *profeci*] Poëta noſter hic loci contra morem vetuſtiorum poëtarum primam ſyllabam corripuit. Et hac, ni fallor,

lor, de cauſa ſciolus quiſpiam in codice Perionii hoc ſubſtituit hemiſtichium: *nihil hinc tamen ipſe reporto.* At nos quidem facile ignoſcimus Lactantio adoleſcentulo, qui ſemel dormitauerit in carmine caetera venuſtiſſimo.

XVII.

ARANEA.

Pallas me docuit texendi noſſe laborem.
Nec pepli radios poſcunt, nec licia telae.
Nulla mihi manus eſt, pedibus tamen omnia fiunt.

VAR. LECT.

2. A. tela. Per. nec telae radios,

ANNOTATIONES.

1. *Pallas me docuit*] Contra tamen Ouidius *Metam. VI. 23.* refert, Arachnen non videri voluiſſe texendi artem a Pallade doctam. *Scires*, inquit, *a Pallade doctam: quod tamen ipſa negat.* Et Virgilius *Georg. IV. 246. inuiſam Mineruae araneam* vocat. Illud tamen certum eſt, Palladem a poëtis celebrari inuentricem textoriae artis. Pallas, inquit Ouidius *Faſt. III. 819. radio percurrere telas erudit.*

2. *pepli*] *Peplus* & *peplum* dicitur. *Peplum*

Palladis meminit Virgilius *AEn. I.* 484. & Pſeudo-Virgilius in *Ciri v.* 21. *ſqq.* Male Barthius corrigere inſtituit hunc verſum medicae opis haudquaquam indigum.

2. *radios*] Ouidius *Metam. VI.* 55: *Inſeritur medium radiis ſubtemen acutis.* Virgilius *AEn. IX.* 476: *Excuſſi manibus* (mulieris) *radii, reuolutaque penſa.*

2. *licia*] Virgilius *Georg. I.* 285: *licia telae addere.* Idem *ecl. III.* 74: *triplici diuerſa colore licia.* Vid. & Gellius *Noct. Attic. XII.* 3.

XVIII.

COCHLEA.

Porto domum mecum, ſemper migrare parata,
Mutatoque ſolo non ſum miſerabilis exul,
Sed mihi conchylium de coelo naſcitur ipſo.

VAR. LECT.

Per. Teſtudo. 3. A. & D. concilium. C. & E. & Per. conſilium.

ANNOTATIONES.

1. *migrare*] Id eſt, alias ſedes ad habitandum petere. Virgilius *ecl. IX.* 4: *Veteres migrate coloni.*

2. *exul*] Hoc loco *exul* foeminini generis eſt, vt apud Ouidium *Triſt. I.* 3. 82: *Coniux*

Coniux exulis exul ero. Sic Dido apud eundem in *epiſtola ad AEnaeam v. 113: Exul agor, cineresque viri patriamque relinquo.* Rurſus in epiſtola *Hypermneſtrae v. 129: Exul Hypermneſtra.*

3. *conchylium*] Vt ſupra *aenigm. XVI. 3.* in *profeci*, ſic hic iterum Lactantius in *conchylium*, cuius vocis media ſyllaba producitur, peccauit in leges pronuntiationis Romanae.

XIX.

RANA.

Rauca ſonans ego ſum media vocalis in vnda,
Cumque canam ſemper, nullus mea carmina laudat,
Sic vox laude caret, quae ſe laudauerit ipſa.

VAR. LECT.

1. A. Raucifonans. D. Raucifonans ego ſum. Media. E. Rauca ſonans ego ſum. Media. 2. A quaſi ſe quoque laudat. C. & Per. quaſi ſe quoque laudet. D. & E. quaſi quoque laudet in ipſa.

ANNOTATIONES.

1. *Rauca ſonans*] Graeca dicendi ratio. Sic & Virgilius *AEn. VIII. 248: inſueta rudentem.* Pertinet huc quodammodo il-

lud Ouidii *Triſt. II. 529: Bella ſonant alii* poëtae, id eſt, ſonoro & magnifico dicendi genere perſequuntur res bello geſtas. Nec alienum prorſus Virgilii illud *AEn. I. 332: Haud tibi vultus Mortalis, nec vox hominem ſonat.* Caeterum *rauca vox* etiam ab Ouidio *ranis* tribuitur *Metam. VI. 378;* & a Lucretio *mergis lib. V. 1087: mutant cum tempeſtatibus vnà Rauciſonos cantus.* Idem de tubis *lib. II. 619: rauciſono cornua cantu.* Virgilius *AEn. VIII. 2: rauco ſtrepuerunt cornua cantu.* Etiam *leones* vocantur *rauciſoni* a Prudentio *Cathem. hymno IV. v. 38.*

1. *Rauca ſonans ego*] Structura grammatica hic non ea eſt: *Ego ſum rauca ſonans, & media vocalis in vnda;* ſed iſta: *Ego, quae ſum rauca ſonans ſiue raucum edo ſonum, in media aqua ſum vocalis.* Vt adeo τὸ *rauca ſonans ego* conſtituat ſubiectum orationis, vt dialecticorum vtar vocabulo

2. *Sic vox*] Admonendus hic lector eſt, me ſecundum pariter ac tertium verſum ſuo loco moviſſe, eique, qui olim erat tertius, ſecundum, quique ante ſecundus erat, ei tertium locum aſſignaſſe. Nec ratio me fugit. Nunc enim & melior eſt verſuum connexio, nec obſcuritas vlla verborum ſupereſt. En vulgatam editionem:

Sed vox laude ſonat, qua ſe quoque laudet & ipſa.

Cumque

Cumque canam ſemper, nullus mea carmina laudat.

Caeterum vides, vltimum verſum me pro epiphonemate poëtae habere, quale infra occurrit in *aenigmate XLVI. de viola: O felix, longo ſi poſſim viuere fato!* Scilicet non ſuppetebat Lactantio materia aenigmatis triſticho epigrammati ſufficiens. Vnde tertio verſu quaſi ἐπιμύθιον quoddam lectoribus profuturum annectere voluit. *Vox*, inquit, *laude caret, quae ſe laudauerit ipſa.* Plinius *lib. 1. epiſt. 8.* idem his verbis dicit: *Quam difficile eſt, obtinere, ne moleſtia videatur oratio de ſe aut ſuis differentis!* Emendationis meae cauſam agere multis nolo, ne videar diffidere legentium acumini, qui ſaltim fatebuntur, me veſtigia veteris ſcripturae ſatis religioſe preſſiſſe. Concludo Pſeudo-Catonis verſu eiusdem argumenti: *Nec te collaudes, nec te culpaueris ipſe.*

XX.

TESTVDO.

Tarda gradu lento, ſpatioſo praedita dorſo,
Viua nihil dixi, ſed ſaeuo perdita fato
Docta fui ſtudio, quae ſic modo mortua canto.

VAR. LECT.

2. A. ſenio predita facto. C. & Per. duro prodita fato.

ANNOTATIONES.

TESTVDO.] Imitatus poëtam noſtrum eſt, quisquis ſequentis eſt aemigmatis *de lyra* autor, exſtantis in Reuſneri *AEnigmatographia p. 380: Viua fui in ſyluis, ſum dura occiſa ſecuri: Dum vixi, tacui: mortua dulce cano.*

1. *ſpatioſo*] Sic reſcripſi pro vulgato *ſpecioſo*, recordatus, librarios ſcriptitare *ſpacium* per *c*, vt adeo ex *ſpatioſo* primum *ſpacioſo*, hinc *ſpecioſo* factum fuiſſe videatur. Video, & Barthium, hoc epigramma *lib. XLII. Aduerſ. cap. 23. p. 1915* recitantem, exhibere *ſpacioſo*. Sed vereor ne ſcriptura haec tribuenda ſit culpae typographi.

2. *Viua nihil dixi*] Tranſpoſitione verborum hic vtendum mihi fuit, ſed haud ſane violenta. Imo credo, nunc omnia plana eſſe & expedita. Vulgata enim editio ſecundum ac tertium verſum exhibet hoc verborum ordine:

Docta quidem ſtudio, ſed ſaeuo praedita fato.
Viua nihil dixi, quae ſic modo mortua canto.

Pro *praedita* reſcribendum duxi *perdita*, pro *quidem fui*. Ac magnae mihi eſt voluptati, totam meam emendationem con-

firmari

firmari Camerarii verſione Graeca huius aenigmatis, vt fere inde colligam, Camerario fuiſſe codicem MS. emendatiorem. Eius Graeca verba, vt a Reuſnero in *AEnigmatographia p. 260.* exhibentur, haec ſunt:

Καὶ βραδύπους καὶ ἄναιμος ἐοῦσ᾽ ἰδὲ ποικιλό-
νωτος
Ἐν ζωῇ ποτ᾽ ἄφωνος ἔην, καὶ νῦν τεθνεῦσα
Μουσάων προΐημι μετρ᾽ ἠχήεσσα λιγειῶν.

XXI.

TALPA.

Coeca mihi facies atris obſcura tenebris.
Nox eſt ipſa dies, nec ſol mihi cernitur vllus.
Malo tegi terra: ſic me quoque nemo videbit.

VAR. LECT.

2. C. & Per. ipſa. D. Non eſt.

ANNOT.

2. *ipſa*] Sic ductum ſecutus duorum codicum ſcribo pro vulgato *ipſe.* Scilicet argutius eſt, ſi τὸ *ipſa* non cum *dies*, ſed cum *nox* coniunxeris, vt hic ſit ſenſus: *Ipſa nox mihi dies* vel *pro die eſt.*

XXII.

FORMICA.

Prouida ſum vitae, duro non pigra labori.
Ipſa ferens humeris ſecurae praemia brumae:
Nec gero magna ſimul, ſed congero multa viciſſim.

VAR. LECT.

1. A. duro nec (*gloſſa adſcripſit* non) pigra labore, *ad quam vocem gloſſa alleuit* labori. C. & D. & E. & P. & Per. duro non pigra labori. 2. A. fecuturae. Per. humeris, brumae quae incommoda vincant. C. pro duro menſe brumali. P. praeuia. 3. E. ſed effero magna.

ANNOTATIONES.

1. *Prouida ſum vitae*] Cicero de *Diuin. II. 57: mens rerum futurarum prouida.* Horatius *lib. I. ſat. 1. v. 35: formica non incauta futuri.* Virgilius *Georg. I. 186: inopi metuens formica ſenectae.*

1. *duro non pigra labori*] Sic edidi auctoritatem ſequens ſex codicum MSS. pro vulgata ſcriptura: *ſed non ſum pigra labore.* Horatius *lib. I. ſat. 1. v. 33: paruula - - magni formica laboris.* Liuius *lib. XXI. cap. 25: gens pigerrima ad opera militaria.*

3. *congero*] Formica apud Phaedrum

IV. 23. 13: Ego granum in hyemem ſtudioſe congero.

3. *viciſſim*] Id eſt, per vices, quo eodem ſenſu iſta vox reperiebatur ſupra in Praefatione poëtae noſtri *v. 12.*

XXIII.

MVSCA.

IMproba ſum, fateor, quid enim gula turpe veretur?
Frigora vitabam, quae nunc aeſtate reuertor:
Sed cito ſubmoueor falſô conterrita vento.

VAR. LECT.

2. Per. quae tunc. D. reuertar. 3. A. & C. & Per. commoueor falſo. D. ſubmouear, falſo. E. falſo.

ANNOTATIONES.

1. *Improba*] Muſca apud Phaedrum IV. 23. 8: *Laboro nihil*, inquit, *atque optimis rebus fruor.*

2. *Frigora*] Ibidem formica ad muſcam *v. 19: Mori contractam te cogunt frigora.*

3. *ſubmoueor falſo*] Male Caſtilio pro *falſo* reſcripſerat *facto*: cui ſcripturae quinque codices contradicunt. Non animaduerterat criticus ille, *falſo* hic loci eſſe haud paulo venuſtius. Terentius *Eun.*

III.

III. 5. 47: Cape hoc flabellum, & ventulum huic ſic facito. Eiuſmodi *ventus* flabello factus AEoliis ventis opponitur tanquam *veris*. Pari modo Ouidius *Triſt. III. 11. 40.* aeneum Phalaridis taurum eleganter vocat *falſum bouem*. Et Virgilius *ecl. VI. 48: Proetides* (ſe vaccas eſſe ratae) *implerunt falſis mugitibus agros.*

3. *ſubmoueor*] Quod quidam codices habent *commoueor*, non moror. Suſpicor enim, id ortum eſſe ex hac ſcribendi ratione: *ſummoueor.*

XXIV.

CVRCVLIO.

NOn bonus agricolis, non frugibus vtilis hoſpes:
Non magnus forma, non recto nomine dictus:
Non gratus Cereri, non paruam inſumo ſaginam.

VAR. LECT.

A. De curculione. C. Curculio. 1. Per. nec frugibus. 2. C. & Per. nec — nec. 3. A. ſummo. C. nec gratus tritici, ſed multa viuo ſagina. Per. nec gratus Cereri, ſed multa viuo ſagina.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CVRCVLIO.] Sic ſcripſi pro vulgato GVRGVLIO, quae ſcriptura minus recta eſt. Eſt autem *curculio* vermiculus grana frumenti exedens, de quo Virgilius *Georg. I. 185: populatque ingentem farris aceruum curculio.* Edidit Conradus Tiburtius Rango, Theologus Pomeraniae clariſſimus, A. 1665. (in 12.) ſingularem librum *de curculionibus*, von den Korn-Motten. Vermiculus iſte quia παρὰ σῖτος, id eſt, ibi, vbi frumentum eſt, eſſe ſolet, hinc perfacete iuxta & pererudite Plautus *paraſitum* ſuum nomine *Curculionis* inſigniuit, quaſi dicas hominem, vt Horatii e *lib. I. epiſt. 2. v. 27.* verbis vtar, *fruges conſumere natum.*

2. *non recto nomine dictus*] Hoc eſt, cum tam paruulus ſim vermiculus, haud ſane recte inditum mihi eſt nomen quadriſyllabum. Scilicet *conueniunt rebus nomina ſaepe ſuis.* At *curculio* cum Plautino illo ſycophanta *Trin. IV. 2. 43.* dicere fortaſſe queat ioco hyperbolico: *Si ante lucem ire occipias a meo primo nomine, concubium ſit noctis prius, quam ad poſtremum perueneris.* Eadem iocandi ratio in mentem venit Emanueli Theſauro, cum apud Morhofium *lib. de arguta dict. p. 117.* *nanum* vocat *ſuo nomine breuiorem.* Quid? quod iam olim Ouidius eundem luſit luſum, cum doctam

illam

illam Sappho in *epiſtola ad Phaonem* v. 33. & 34. ſic loquentem inducit:

Nec me deſpicias, ſi ſum tibi corpore parua,
Menſuramque breuis nominis ipſa fero.

Cum igitur Lactantianus noſter *curculio recto ſe nomine dictum* negat, haec eius eſt ſententia: Non recte dicor hoc nomine, quippe quod grandius eſt memetipſo.

3. *inſumo*] Sic ſcribo pro vulgato *ſumo*, ratus, τὸ *in* abſorptum fuiſſe a proxime praecedenti eiusdem figurae litera *m*. Ac fauet meae coniecturae vetuſtiſſimus Anglicanus codex, qui *ſummo* habet. Non equidem ignoro, priſcos etiam *ſumo* dixiſſe pro *inſumo* vel *abſumo*. Vid. Taubmannus ad Plauti *Rud. IV. 8. 9. p. 1071.* & ad *Trin. II. 4. 12. p. 1153.* Sed non videtur noſter Lactantius obſoleta dicendi ratione vſurus fuiſſe.

XXV.

M V S.

Parua mihi domus eſt, ſed ianua ſemper aperta.
Exiguo ſumtu furtiua viuo ſagina.
Quod mihi nomen ineſt, Romae quoque conſul habebat.

VAR.

VAR. LECT.

2. Per. furtiuis nutrior eſcis. 3. A. quod mi nomen. D. Troiae quoque conſul.

ANNOTATIONES.

1. *ſed ianua*] Conradus Bachmannus in Reuſneri *AEnigmatographia p. 397.* ſic emendauit: *cui ianua.* Haud ſane male. Miror, meorum codicum nullum huic ſcripturae adſtipulari.

2. *conſul*] Imo duo conſules. Res nota vel ex Floro Hiſt. Rom. *lib. 1. cap. 14. n. 1.* & *cap. 17. n. 7.* Nec vero ſolum vterque Decius nomen *Muris* geſſit. Etiam philoſophum hoc nomine praeditum habemus, *Murem* Epicureum, quem *philoſophum non incelebrem* appellat Gellius *lib. II. cap. 18.* ἐνδοξότατον Laërtius *X. 10.* Medici quoque Apollonium quendam habent, qui *Mus* cognominatus eſt, teſte Corn. Celſo in praefatione ad librum *Medicinae* ſuae quintum. De *Apollonii* illius *Muris* aetate diſputantem video Conringium in *Conringianis p. 32.* Quid? & theologi ſuum habent *Muſculum, Wolfgangum*, cuius vitam non indiligenter expoſuerunt Melchior Adamus ac Baelius.

Nolui te, docte lector, celare, in antiquiſſimo codice MS. Anglicano inter modo exhibitum & ſequens *de grue* aenigma

gma neſcio quo caſu inſertum legi aliud aenigma, turpi quidem monacho caliginoſi aeui, quam eleganti noſtro Lactantio, dignius. En illud:

De Pilace.

Inſidiis tacite diſpono ſcandala mortis.
Si faciem meam ſpecient, fugiant cito mures.
Paucos ſaltem noſtros maxime ac male timent.

Pilax quid ſit, cum neſcirem, conſultus a me φιλόπονος ille *Dufreſnius* in ſuo *adſcriptores mediae & infimae Latinitatis Gloſſario* me docuit, felem muribus capiendis intentam medio illo, quod vocant, aeuo dictam fuiſſe *pilacem.* Id nominis Galliae natales debere auguror. Nam hodieque Galli dicunt *piller* & *pillage*, id eſt, *expilare, direptio.* Quanquam iam Ammianum Marcellinum dixiſſe video *lib. XXXI. cap. 14. pilare villas & incendere.* Caeterum male tornatum illud aenigma emendare non aggredior, ſed ad Lactantium meum redeo.

XXVI.

G R V S.

Litera ſum coeli penna perſcripta volanti,
Bella cruenta gerens volucri diſcrimine Martis,
Nec vereor pugnas, dum non ſit longior hoſtis.

VAR.

VAR. LECT.

1. Per. pennas per ſcripta volantes. 2. Per. volucris diſcrimina.

ANNOTATIONES.

1. *Litera ſum coeli*] Ad haec verba in primo Anglicano codice haec gloſſa legitur adſcripta: *Grues enim ordine literato in aëre volant.* Martialis lib. IX. epigr. 14. ad Earinum: *Nomen habes*, inquit, *quod penna ſcribente grues ad ſidera tollant.* Idem *lib. XIII. epigr. 75. de gruibus: Turbabis verſus, nec litera tota volabit, Vnam perdideris ſi Palamedis auem.* Scilicet cum *grues aeſtiua relinquunt, & tepido permutant Strymona Nilo, Ordinibus variis per nubila, texitur ales Litera, pennarumque notis inſcribitur aër*, vt Claudianus canit *lib. de bello Gild. v. 474. ſqq.*

1. *volanti*] Ita reſcribo pro vulgato *volantis*, quod & in codicibus manu exaratis eſt. Quid enim fieri elegantius poteſt, quam vt grues literas ſcribere dicantur *penna volanti?* Ac loco modo memorato Claudianus meam confirmat correctionem, dum dicit *literam alitem.*

2. *Bella cruenta gerens*] Innuit poëta noſter fabulam Homericam de Pygmaeis cum gruibus belligerantibus, quam & Plinius paucis memorat *Hiſt. nat. lib. IV. cap. XI.* & *lib. VII. cap. 2.* Non ita pridem ex fa-

bulae huius ſterquilinio veritatis aurum eruere conatus eſt Hermannus Hardtius, vir ingenioſiſſimus, in *Geranomachia* ſua, A. 1716. edita, opere docto Iupiter! & laborioſo.

3. *dum non ſit longior hoſtis*] Id eſt, dummodo hoſtis aequalis ſit ſtaturae, nec me grandior. Innuuntur Pygmaei, *quorum qui longiſſimi ſunt, non longiores eſſe* dicuntur, *quam pedes duos & quadrantem*, teſte Gellio *lib. IX. cap. 4.* Plinius *lib. VII. Hiſt. nat. cap. 2. Pygmaeos* ait tradi *ternas ſpithamas longitudine non excedere.*

XXVII.
CORNICVLA.

Viuo nouem vitas, ſi non me Graecia fallit,
Atraque ſum ſemper nullo compulſa dolore,
Et non iraſcens vltro conuicia dico.

VAR. LECT.

A. De cornice. C. & Per. Cornix. 1. Per. ſi me non. A. & C. *ſi me non gratia.* 2. D. vtraque. E. Veraque. A. & C. Nomen habens atrum nullo. Per. Nomen habens atrum nullo compulſa dolore. D. & E. & P. compulſa dolore. 3. A. & D. ultra.

ANNOTATIONES.

1. *Viuo nouem vitas*] Id eſt, aetates. Heſiodus

ſiodus in fragmento quopiam: Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη Ἀνδρῶν ἡβώντων. Vnde *annoſam* vocat *cornicem* Horatius *lib. III. od. 17. v. 13.* En ἐπίκρισιν Plinii *lib. VII. Hiſt. Nat. cap. 48: Heſiodus fabuloſe (vt reor,) cornici nouem noſtras attribuit aetates.*

1. *ſi non me Graecia fallit*] Iuſta cautio! *Nam Graecis hiſtoricis plerumque poëticae ſimilis eſt licentia,* vt audacter pronuntiat Quintilianus *lib. II. Inſtit. orat. cap. 4.* Et *quid non Graecia mendax Audet in hiſtoria?* exclamo cum poëta Iuuenale *X. 174.* Nimirum adeo infames mentiendi licentiâ erant hiſtorici Graeci, vt Romani, teſte Hieronymo *Epiſt. 23.* prouerbii inſtar dictitarent: *Impoſtor & Graecus eſt.*

3. *conuicia*] Poëta noſter ludit ambiguitate vocabuli. *Conuicia* enim ſaepe ſunt *clamores contumelioſi.* Haud raro tamen eadem vox generaliori accepta ſenſu *quemuis clamorem* ſignat. Cicero *Orat. pro Archia cap. 6 animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures conuicio defeſſae conquieſcant.* Idem *lib. 1. ad Famil. epiſt. 5: clamore conuicioque.* Vix quisquam crebrius Phaedro *conuicium* prō *clamore* poſuit, e. g. *lib. I. fab. 6. v. 4. & 5:*

Clamorem ranae ſuſtulere ad ſidera.
Conuicio (earum) *permotus Iupiter*, caetera.

XXVIII.

VESPERTILIO.

NOx mihi dat nomen primo de tempore noctis.
Pluma mihi non eſt, cum ſit mihi penna volantis.
Deſideo in tenebris, nec me committo diebus.

VAR. LECT.

2. D. pinna. 3. A. & C. & D. & Per. ſed redeo in. Per. non me.

ANNOT.

3. *Deſideo*] Pro vulgato *ſed ſedeo*, quod perabſurde hic ſonat, reſcribendum duco *deſideo*. Terentius *Hec. v. 3. 2: fruſtra ubi totum deſedi diem.*

XXIX.

ERICIVS.

PLena domus ſpinis, parui ſed corporis hoſpes,
Incolumi dorſo telis confixus acutis,
Suſtinet armatas ſegetes habitator inermis.

VAR. LECT.

2. A. & C. & P. & Per. confixus. 3. C. armatus. A. & Per. ſegetes.

ANNO-

ANNOTATIONES.

2. *confixus*] Vulgata editio: *completus*. Emendaui praeeuntibus quatuor codicibus.

3. *ſegetes*] Vulgatum erat *ſedes*. Sed ſtatim vidi, *ſegetes* eſſe reponendum. Ac magna cum voluptate hanc ipſam ſcripturam deprehendi in vetuſtiſſimo Anglicano codice, quam & Perioniana exhibet editio. Et quid verbis opus, cum oſtendere poſſim, quem imitatus poëta noſter ita ſcripſit? Virgilius is eſt, cuius *AEn. III.* 45. haec ſunt verba: *Confixum ferrea texit telorum ſeges, & iaculis increuit acutis.* Eodem ſeuſu *ſtimulorum ſeges* exſtat in Plauto *Aul. I.* 1. 6.

XXX.

PEDICVLI.

Eſt noua notarum cunctis captura ferarum,
Vt, ſi quid capias, id tu tibi ferre recuſes,
Et, quod non capias, tecum tamen ipſe reportes.

VAR. LECT.

Per. Pedicla. Cauſ. Piſcator & Piſciculi. 1. D. & E. cunctis noſtrarum. E. captio ferarum. 2. A. & C. & D. & Per. ſi quid. Per. & tu. D. & E. ſed tu tibi. 3. D. capies.

ANNOTATIONES.

PEDICVLI.] Vetuſtius auctore noſtro hoc aenigma eſt. Tradit enim Herodotus in *Vita Homeri*, acceſſiſſe ad hunc poëtarum regem pueros quosdam piſcatores, eique explicandum obtuliſſe iſtud aenigma: *Nos, quaecunque cepimus, reliquimus, quae vero non cepimus, nobiscum portamus.* Deinde ſua ipſosmet ſenſa exponentes dixiſſe, ſe, cum piſcium nihil capere poſſent, deſidentes in ſicco pediculos eſſe venatos: & horum quotquot cepiſſent, abieciſſe; quos autem non inueniſſent, domum retuliſſe. Addit Herodotus, fuiſſe, qui traderent, Homerum aenigmatis huius perplexitate enectum occubuiſſe: quos quidem ait in errore verſari ridiculo. Non infeliciter alius poëta neſcio quis in *AEnigmatographia* Reuſneriana *p.378.* idem aenigma expreſſit hoc modo:

In denſis ſyluis venor bis quinque catellis.
Quod capio, perdo: quod non capio, mihi ſeruo.

1 *noua*] Id eſt, vulgo non vſitata, ſed prorſus paradoxa venatio. Sic Cicero *Orat. pro Ligario cap. 1: Nouum crimen & ante hunc diem inauditum.*

1. *notarum*] Ita reſcribo pro *noſtrarum*. Pediculi enim ſunt ſane *ferae cunctis notae.*

2. *ſi quid*] Editum erat *ſi quod.* Sed mea emendatio nititur applauſu codicum MSS.

XXXI.

XXXI.
PHOENIX.

Vita mihi mors eſt, morior, ſi coepero naſci:
Sed prius eſt fatum, laetae quam lucis origo.
Sic ſolus Manes ipſos mihi dico parentes.

VAR. LECT.

1. E. moriar. 2. A. fatum loeti. C. & Cam. fatum leti. Per. fatum lethi, quam. D. eſt factum. E. loca quam lucis. 3. A. & D. ſolus. P. mares.

ANNOTATIONES.

1. *Vita mihi mors eſt*] Idem Lactantius in maiori carmine *de Phoenice v. 166: Vt poſſit naſci, haec appetit ante mori.* Ibidem *v. 78: Nam perit, vt viuat, ſe tamen ipſe creat.* Et *v. 92: exequiis immoritura ſuis.* Tribuo autem carmen illud non dubitanter Lactantio noſtro, eaque in re aſſentior Nicolao Heinſio, Petro Lambecio, & Celeb. Fabricio *Bibl. Lat. lib. IV. cap. I. p. 678. ſqq.* Sane dignum eſt carmen iſtud ingenio Lactantii, nec quicquam in eo ineſt, ex quo firmiter colligas, auctorem eius fuiſſe ethnicum.

3. *ſolus*] Vulgatum erat *ſolos.* Inepte. Recte duo codices mei exhibent *ſolus.*

XXXII.

TAVRVS.

Moechus eram regis, ſed lignea membra ſequebar:
Et Cilicum mons ſum, ſed non hoc nomine ſolo:
Et vehor in coelis: & in ipſis ambulo terris.

VAR. LECT.

1. Nec bos regis eram. 2. A. & E. & P. & Cam. Cilicum. C. Cilicium. D. Caelicum. A. & E. ſed mons ſum nomine ſolo. Per. Et Cilicum immenſus mons ſum, & mons nomine ſolo. 3. D. & E. & Cam. in coelo, ſed in.

ANNOTATIONES.

1. *Moechus eram*] *Taurum dilexit filia Solis*, inquit Ouidius *Metam. IX. 738.* Totam fabulam breuiter exponit Palaephatus *cap. 2.* his verbis: *In fabulis eſt, Paſiphaën tauri paſcentis amore fuiſſe captam; Daedalum vero fabricaſſe bovem ligneum, eique Paſiphaën incluſiſſe: atque ita taurum inſcendentem mulieri ſe commiſcuiſſe.* Hinc & Virgilio *AEn. VI. 24.* memoratur *crudelis amor Tauri, ſuppoſtaque furto Paſiphaë.* Sic & Ouidius in *epiſtola Phaedrae. v. 57: Paſiphaë decepto ſubdita tauro.* Adi & Natalem Comitem *Mythol. lib. VI. cap. 5.*

2. *Cilicum mons*] Vulgatum erat *Cilicus mons.*

mons. Sed quidam codices MSS. habent *Cilicum:* &, ſi & hi *Cilicus* haberent, tamen meliorem illam ſcripturam dictatura erat ratio. Etiam Ouidius de hoc monte *Metam. II. 217: Ardet Athos, Taurusque Cilix, & Tmolus,. & Oete.*

2. *non hoc nomine ſolo*] Vulgatum erat *non ſum.* Meam correctionem & iuſtam eſſe & neceſſariam, haud pauci, credo, aſſentientur. Vult enim poëta, montem illum Ciliciae plura gerere nomina. Audiamus Plinium *Hiſt. Nat. lib. V. cap. 24.* Taurus mons, inquit, *numeroſis nominibus & nouis, quacunque incedit, inſignis eſt, Imaus prima parte dictus, mox Emodus, Parapamiſus, Circius, Chambades, Parphariades, Choatras,* caetera.

3. *Et vehor in coelis*] Virgilius *Georg. I. 217: Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus.* Adſcribo aliud *de Tauro* epigramma ex Reuſneri *AEnigmatographia p. 242:*

Signiferi ſidus, Cilicum mons, Paſiphaësque
Nobilis inſeſſor, vector Agenoridis.

Idem in Parte ſecunda *p. 73.* hoc alterum exhibet a ſemetipſo confectum:

Sidus ego coelo, ſed humi ſi cernis, aratri
Sum patiens, mons hoc nomen, & orbis habet.

Vbi tamen ſic mallem legere: *mons hoc nomen & altus habet.*

XXXIII.

L V P V S.

DEntibus inſanis ego ſum qui vinco bidentes,
Sanguineas praedas quaerens victusque cruentos
Multa cum rabie; vocem quoque tollere poſſum.

VAR. LECT.

1. D. inſanguis. 2. Per. quaerens praedas. C. rictusque. 3. E. Multaque. A. Mixtaque cum rabie. Vocem. C. Mixtaque cum rabie corpus. Per. Mixta & cum rabie vocem quoque tollere noui.

ANNOTATIONES.

2. *victusque cruentos Multa*] Vulgatum erat ſic: *victusque cruentos, Multa cum rabie vocem quoque tollere poſſum.* Sed rectius antiquiſſimus meus codex *punctum* fixerat poſt *rabie.*

3. *Vocem quoque tollere poſſum*] Fabulantur, obmuteſcere eos, quos lupi viderint priores. Virgilius *ecl. 9. 53: Vox quoque Moerin Iam fugit ipſa: lupi Moerin videre priores.* Solinus *in Polyhiſtore cap. 8: Italia lupos habet, qui cum caeteris ſimiles non ſint, homo, quem prius viderunt, conticeſcit, & anticipatus obtutu nocenti, licet clamandi votum habeat,*

beat, non habet vocis miniſterium. Plinius *lib. VIII. Hiſt. nat. cap. 22: In Italia creditur luporum viſus eſſe noxius, vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad praeſens.*

XXXIV.
VVLPES.

Exiguum corpus, ſed cor mihi corpore maius.
Sum verſuta dolis, arguto callida ſenſu,
Et fera ſum ſapiens, ſapiens fera ſi qua vocatur.

VAR. LECT.

1. D. malus. A. *Gloſſa adſcripſit: Legitur aliter* Corporis exigui. 3. Per. talis fera.

ANNOTATIONES.

1. *cor*] *Cor* pro *ſapientia* dici, aliquot iam exemplis probauit Barthius, apud quem & verba Auguſti Imp. emendaui, in quibus emendandis ne quicquam operam poſuerant Scriuerius & Caſaubonus, quorum correctiones Rutgerſius exhibet *Var. Lect. lib. II. cap. 14. p. 175.* Addo alia non minus notatu digna veterum loca. Plautus in *Perſa IV. 4. 70: Cata eſt & callida, habet cor.* Ennius apud Ciceronem *lib. I. de orat. cap. 45: Egregie corda-*

cordatus homo catus AElius. Sic *excors* & *vecors* pro *ſtulto* ponitur. Elegans eſt prouerbium, quod Auguſtinus *lib. de beata vita p. 492.* producit: *Inſidus homo malo ſuo eſt cordatus,* id eſt, verſutus & callidus. Nec omittere poſſum Auſonii *Epigramma XL. de Rufo quodam:*

REMINISCO Rufus dixit in verſu ſuo.
COR ergo verſus, imo Rufus non habet.

Idem *epigr. XLVIII:*

Qui REMINISCO putat ſe dicere poſſe Latine,
Hic, vbi (a) *CO ſcriptum eſt, legeret COR, ſi cor haberet.*

1. *cor mihi corpore maius*] Statius *Thebaid. I. 417: Maior in exiguo regnabat corpore virtus.* Exſtat in Tomo quarto operum Melanchthonis *p. 322.* hic Ioannis Maioris verſus: *Melanchthon, Corpore qui paruus, maximus arte fuit.* In Nicolaum Taurellum, Baelio teſte, non nemo ſic luſerat: *Corpore Taurellus, Taurus es ingenio.* AEneas Syluius *lib. I. de concilio Baſileenſi p. 9.* Nicolaum quendam Burgundionem vocat *virum acutum, & longe maioris animi, quam corporis.* Plura huius generis in promtu ſunt. Sed *eſt modus in* his *rebus.*

3. *ſapiens fera ſi qua vocatur*] Ἐπανόρθωσις

(a) *Reſcribo* vbi *pro vulgato* ibi.

ois rhetorica. Sic Cicero *pro Plancio: Illi iudices, ſi iudices, & non parricidae patriae, nominandi ſunt.*

XXXV.

CAPRA.

Alma Iouis nutrix, longo veſtita capillo,
Culmina difficili peragrans ſuper ardua greſſu.
Cuſtodi pecoris tremula reſpondeo lingua.

VAR. LECT.

2. A. *Gloſſa adſcripſit* nam facili. E. Fulmina. Per ſed & ardua. 3. A. & D. & E. & Cam. pecoris. D. & P. reſpondeo voce.

ANNOTATIONES.

1. *Alma*] *Almus* hic proprio ſenſu capitur. Ab *alendo* enim dicitur. Pari modo Virgilius *Georg. II. 330. agrum* vocauit *almum.* Idem eodem ſenſu *Georg. I. 7. Cererem* dixit *almam.*

1. *Iouis nutrix*] Ouidius *Faſt. III. 443: Stat quoque capra ſimul, Nymphae pauiſſe feruntur Cretides, infanti lac dedit illa Ioui.* Idem *lib. V. 113:*

Naſcitur Oleniae ſignum pluuiale capellae.
Illa dati coelum praemia lactis habet.

Caeſar Germanicus in *Arateis v. 164:*

Vna

Vna putatur
Nutrix eſſe Iouis, ſi vere Iupiter infans
Vbera Cretaeae mulſit fidiſſima caprae.

2. *ſuper*] Tò *ſuper* hoc loco vitiat Latinitatem ſermonis. Fortaſſe auctor ſcripſerat *licet*.

3. *pecoris*] Vulgatum erat *pecorum*.

XXXVI.

PORCVS.

Setigerae matris foecunda natus ab aluo
Deſuper ex alto virides exſpecto ſaginas,
Nomine Numen habens, ſi litera prima periret.

VAR. LECT.

2. Per. paſtus exſpecto virentes. 3. E. prima peremta.

ANNOTATIONES.

1. *Setigerae*] Ita & Virgilius *AEn. XII. 170.* dixit *ſetigeram ſuem*.

1. *ab aluo*] Vulgatum erat *in aluo*, conſentiuntque codices omnes. Sed cum non *in aluo* foetus naſcantur, ſed *ab aluo*, non mihi duxi religioni correctionem hanc ſuſcipere. Virgilius *AEn. III. 98: Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*

2. *virides ſaginas*] Id eſt glandes. Vnde quercus *glandifera* dicitur.

3. *Nu-*

3. *Numen*] Plutonem etiam *Orcum* veteres vocarunt. Virgilius *Georg. I.* 277: *Quintam* (diem) *fuge: Pallidus Orcus Eumenideſque ſatae.* Plautus *Epid. II.* 1. 7: *Cuius quoties ſepulcrum vides, ſacrificas illico Orco hoſtiis.* Conſule, ſi libet, Taubmannum ad Plauti *Pſeud. III.* 2. 6. p. 848. Cicero *in Verrem Orat. VI. cap.* 50. quem paulo ante (p. 585. A) *Ditem patrem* nominarat, *Orcum* (p. 586. D.) appellat. *Hic dolor erat tantus*, inquit, *vt Verres, alter Orcus, veniſſe Ennam, & non Proſerpinam aſportaſſe, ſed ipſam abripuiſſe Cererem videretur.*

XXXVII.

M V L A.

Diſſimilis patri, matri diuerſa figura:
Confuſi generis, generi non apta propago.
Ex aliis naſcor, nec quisquam naſcitur ex me.

VAR. LECT.

A. De mulo. 1. A. patris, matri. C. matri, patris. P. & D. matri. Per. matri, patri. D. figurae. 2. A. & C. & D. & P. & Per. & Cam. Confuſi. E. Confuſa generi quoque ſum. 3. C. & Per. nec quicquam.

ANNOTATIONES.

1. *Diſſimilis patri, matri*] Editum erat *Diſſi-*

Diſſimilis patri, matris. Sed recte ac ſuffragantibus veteribus libris reſcribo: *Diſſimilis patri, matri diuerſa figura*, ſubaudi *eſt.* Poterat & ſic emendari: *Diſſimilis patris, matris diuerſa figura.* Sed alterum illud praefero.

1. *figura*] Cicero *Orat. pro Roſcio Amer. p. 91: Monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana ſpecie & figurâ, qui tantum immanitate beſtias vicerit, vt*, caetera.

2. *Confuſi*] Vulgatum erat *Alterni*, refragantibus codicibus MSS. vniuerſis. Eleganter vero *mulus* vocatur *confuſi generis animal.* Gignitur enim ex equo & aſina, quorum ſemina confunduntur. Sic apud Virgilium *AEn. III. 696. Elidis amnis Alpheus Arethuſae confunditur vndis.* Curtius *IX. 9. 7: Tertio iam die mixtum flumini ſubibat mare, leui adhuc aeſtu confundente diſpares vndas.*

2. *generi non apta*] id eſt, non apta ad generandam ſobolem.

3. *nec quisquam*] Non eſt, cur cum vno codicum ſcribamus *nec quicquam.* Rectius enim eſt *nec quisquam.* Nam *quisquam* de vtroque ſexu vſurpatur. Apud Terentium *Eun. IV. 4. 10.* Pythias ancilla inquit: *Hunc oculis ſuis noſtrarum nunquam quisquam vidit.*

Addo

Addo elegiacum diſtichon Reuſneri de *mulo*, quod *AEnigmatogr. P. II. p. 73.* exhibet:

Ex aliis naſcor, nec quicquam naſcitur ex me,
Diſſimilis matri, diſſimiliſque patri.

XXXVIII.

TIGRIS.

A Fluuio dicor, fluuius vel dicitur ex me:
Iunctaque ſum vento, vento velocior ipſo:
Et mihi dat ventus natos, nec quaero maritum.

VAR. LECT.

2. A. quae ſum velocior ipſe. E. ventoque velocior. 3. Per. natos ventus. C. non quaero. D. & E. & Cam. maritos.

ANNOTATIONES.

1. *A fluuio dicor, fluuius vel*] *A celeritate, qua defluit, Tigri nomen* (huic fluuio) *eſt inditum: quia Perſica lingua Tigrim ſagittam appellant,* inquit Curtius *IV. 9. 16.* Alii tamen cum poëta noſtro, flumen illud a tigride animali dictum eſſe, credunt. Ac ſane Plinio *lib. VIII. Hiſt. nat. cap. 18.* tigris vocatur *animal velocitatis tremendae.* Si Natali Comiti *lib. V. Mythol. cap. 13. p. 488.* credi-

credimus, fabulati ſunt veteres, fluuium *Tigrim* dictum fuiſſe ab ea tigre, quam conſcendens Bacchus traiecit mare. Adi & Guil. Burtoni *Lipſana linguae Perſicae p. 91.*

2. *Iunctaque*] Subaudi *matrimonio.*

3. *Et mihi dat ventus natos*] Virgilius *Georg. III. 273.* de equabus: *Illae ore omnes verſae in Zephyrum ſtant rupibus altis, Exceptantque leues auras, & ſaepe ſine vllis Coniugiis vento grauidæ, mirabile dictu.* Plinius *Hiſt. nat. lib. VIII. cap. 24: Conſtat*, inquit, *in Luſitania circa Olyſſiponem oppidum & Tagum amnem equas Fauonio flanti aduerſas animalem concipere ſpiritum, idque partum fieri.* Idem *lib. IV. cap. 22. Olyſipponem* vocat *oppidum equarum e Fauonio vento conceptu nobile.* Fabulae natales oſtendit Iuſtinus *Hiſt. lib. XLIV. cap. 3. n. 1.* his verbis: *In Luſitanis iuxta fluuium Tagum vento equas foetus concipere, multi auctores prodidere: quae fabulae ex equarum foecunditate & gregum multitudine natae ſunt, qui tanti* (id eſt, tot) *in Gallaecia & Luſitania ac tam pernices viſuntur, vt non immerito vento ipſo concepti videantur.* Adi & Baelii diſſertationem *de Hippomane §. X. not. C.* Sed vt ad tigrides vento gravidas reuertar, crediderim, hanc inde natam eſſe fabulam, quod & perniciſſimo curſu ſint, & in cubilibus earum ſola mater (*maribus*

ribus enim cura non eſt ſobolis,) reperiatur a venatoribus, teſte Plinio *lib. VIII. cap. 18.*

XXXIX.

CENTAVRVS.

Quattuor inſignis pedibus, manibusque duabus,
Diſſimilis mihi ſum, quia ſum non vnus & vnus:
Et vehor & gradior, quia me duo corpora portant.

VAR. LECT.

2. Per. quia non ſum vnus & idem. 3. A. cum me duo corpora portant. Per. cum me duo corpora portent.

ANNOTATIONES.

CENTAVRVS] De Centauris ἵππου καὶ ἀνδρὸς ἰδέαν habentibus legi dignus eſt Palaephatus *cap. 1. libri περὶ ἀπίστων*, vbi & originem fabulae exponit luculenter.

2. *ſum non vnus & vnus*] Argute. Vnus ſum, inquit, ac ſimul tamen non vnus, quia ex ſuperiori corporis parte hominis, ex inferiori equi formam gero.

3. *duo corpora*] Vulgo exſtabat *mea corpora.* Correctio debetur vetuſto illi Anglicano codici. Sic Virgilius *Æn. VIII. 293.*

Centauros vocat *bimembres*. Et Ouidius in *epiſtola Deianirae v. 141.* Neſſum Centaurum appellat *ſemiuirum*, qui & Minotaurum *Triſt. IV. 7. 8. ſemibouem virum* nominauit. Eodem modo Virgilio *AEn VI. 289.* Geryon vocatus eſt *tricorpor*. Caeterum ex ipſo poëtarum choro aliquis inſurrexit in hanc fabulam Lucretius *lib. V. de natura rerum v. 880. ſeqq.* hunc in modum differens:

Sed neque Centauri fuerunt, neque tempore in vllo
Eſſe queat duplici natura & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas.

XL.

PAPAVER.

GRande mihi caput eſt, intus ſunt membra minuta:
Pes vnus ſolus, ſed pes longiſſimus vnus:
Et me ſomnus amat, proprio nec dormio ſomno.

VAR. LECT.

1. A. & Per. intus ſed. C. incuſſum membra. 2. Per. ſolùm — longiſſimus idem. 3. C. non.

ANNOT.

3. *Et me ſomnus amat*] Vnde Ouidius *Triſt. V. 2, 24. papauer* vocat *ſoporiferum*, & Virgi-

Virgilius *Georg. 1. 78. Lethaeo perfuſa papauera ſomno.*

XLI.
MALVA.

ANſeris eſſe pedes ſimiles mihi, nolo negare:
Nec duo ſunt tantum, ſed plures ordine cernis:
Et tamen hos ipſos omnes, ego porto ſupinos.

VAR. LECT.

1. D. *deeſt* mihi.

XLII.
BETA.

TOta vocor Graece, ſed non ſum tota Latine:
Ante tamen mediam cauponis ſcripta tabernam:
In terris naſcor, lympha lauor, vngor oliuo.

VAR. LECT.

1. A. & B. & C. Beta vocor — beta Latine. *Gloſſa tamen in B. addidit* lege Tota. P. Tota. Per. Beta vocor Graecis, — beta Latinis. 2. B. Pauperibus ſemper propono namque tabernis. C. & Per. Pauperibus ſemper proponor namque tabernis. 3. E. terrá. Per. oliuo.

ANNOTATIONES.

1. *Tota vocor*] Hic verſus, fateor, non mediocriter me maçerauit. Nec tamen ex his tenebris eluctatus ſum, donec duces accepi viros ingenio & doctrina maximos, Haſaeum & Geſnerum, quorum annotationes infra inſpice, lector, & aenigmatis enodationem inde pete.

2. *Ante tamen*] Et hic rem acu tetigiſſe videtur Geſnerus meus. Caeterum huic verſu ſciolus aliquis ſubſtituiſſe videtur alterum: *Pauperibus ſemper proponor namque tabernis.* Videtur hic ſuppoſtor in oculis habuiſſe Martialis epigramma XIII. e *libro. XIII.* vbi *betae* vocantur *prandia fabrorum.*

3. *oliuo*] Editum erat *oliua.* Sed iam Caſtalio animaduertit, ſcribendum eſſe *oliuo.* De cuius ſcripturae germanitate eo minus dubito, quod haec ſunt ipſiſſima verba Horatii *lib. I. ſat. 6. v. 122. vnguor oliuo.*

XLIII.

CVCVRBITA.

PEndeo, dum naſcor: rurſus, dum pendeo, creſco.
Pendens commoueor ventis, & nutrior vndis.
Pendula ſi non ſim, non ſum iam iamque futura.

VAR.

VAR. LECT.

A. & B. & C, rurſus dum pendo tumeſco. Per. rurſus pendendo tumeſco. 2. E. Pendens dum moueor. Per. velis et. D. qui nutrior. 3. D. ſi non ſum. Per. iam iam ipſa futura.

ANNOT.

1. *creſco*] Editum erat *naſcor*. Caſtalioni in mentem venit reſcribere *creſco*, cui libens ſubſcribo. Veſtigia huius *creſco* clara ſuperſunt in iis codicibus MSS. qui habent, *tumeſco*. Caeterum ſententiam huius verſus ſatis illuſtrauit idem Caſtalio, quem vide.

XLIV.

CEPA.

MOrdeo mordentes, vltro non mordeo quenquam.
Sed ſunt mordentem multi mordere parati:
Nemo timet morſum, dentes quia non habeo vllos.

VAR. LECT.

Cauſ. Cepe. 3. A. qui non habet. C, & Per. habet.

XLV.

ROSA.

PUrpura ſum terrae pulchro perfuſa colore,
Septaque, ne violer, telis defendor acutis.
O felix, longo ſi poſſem viuere fato!

VAR. LECT.

1. A. & B. & C. & E. & Per. colore. 2. A. defenſor. 3. A. & C. & E. poſſem.

ANNOTATIONES.

1. *colore*] Editum erat *rubore.* Sed ex codicibus MSS. apparet, gloſſam ſucceſſiſſe in locum textus. Ac ſane in codice primo Anglicano ad vocem *colore* gloſſa diſerte adſcripſerat: *id eſt, rubore.*

3. *poſſem*] Editum erat *poſſim*, quod correxi e melioribus libris manu exaratis. Nec tacitum volo, me valde procliuem eſſe ad ita reſcribendum: *O felix, longam ſi poſſem viuere vitam!*

XLVI.

VIOLA.

MAgna quidem non ſum, ſed ineſt mihi maxima virtus.

Spiri-

Spiritus eſt magnus, quamuis in corpore paruo.
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

VAR. LECT.

A. de viola. B. & C. & Per. Viola. 1. Per. verum eſt mihi. 2. A. & C. & Per. quamuis in. D. quamuis e corpore magno. 3. B. rubore.

ANNOTATIONES.

VIOLA] Editum erat: LILIVM.

2. *quamuis in*] Sic e MSS. duobus reſcribo pro vulgato: *quamuis ſim.*

Nondum mitto hoc aenigma, ſed lectorem cupio animum aduertere ad coniecturam meam, qua ſtatuo, tertium huius aenigmatis verſum cum tertio prioris verſu fuiſſe permutatum. Videntur itaque mihi haec duo aenigmata ſic fluere debere:

ROSA.

Purpura ſum terrae, pulchro perfuſa colore,
Septaque, ne violer, telis defendor acutis:
Nec mihi germen habet noxam, nec culpa ruborem.

VIOLA

Magna quidem non ſum, ſed ineſt mihi maxima virtus.

Spiritus eſt magnus, quamuis in corpore paruo.

O felix, longam ſi poſſem viuere vitam!

Certe ſic omnia cohaerent aptius. Senſus aenigmatis de roſa iſte eſt: Ego telis acutis inſtructa, itemque rubore perfuſa ſum. Attamen nec germen meum quenquam pungit, (ſed id faciunt ſpinae germini meo circumdatae,) nec ob criminis alicuius recordationem erubui. Tò *mihi* tertio verſu παρέλκει, id quod frequentiſſimum eſt apud auctores. Vid. Vechneri *Hellenolexia lib. I. cap. 6. p. 104. ſqq.* Laurembergii *Antiquarius* v. *mihi;* Auſonii Popmae *lib. II. de antiq. locut. cap. 10. p. 536.*

3. *ſpiritus*] Id eſt, odor. Gellius *Noct. Attic. IX. 4: ſpiritu florum naribus hauſto.* Tertullianus *Apolog. cap. 6: Oſcula propinquis offerre neceſſitas erat, vt ſpiritu iudicarentur.* Lucretius *lib. III. v. 223: Spiritus vnguenti ſuauis diffugit in auras.* Pertinet huc illud Virgilii *AEn. I. 407: odorem ſpirauere.*

XLVII.

T V S.

DUlcis odor nemoris flamma fumoque fatigor,

Et

Et placet hoc ſuperis, medios quod mittor in ignes,
Cum mihi peccandi meritum natura negarit.

VAR. LECT.

2. B. *ad τὸ* quod *gloſſa adſcripſit:* lege *cum.* D. & E. & P. ſed placet. 3. *Deeſt totus hic verſus in* A. *Contra exſtat in* B. & C. Per. peccandi vitium. 4. A. & D. & E. dandi. *Deeſt totus hic verſus in* B. & C. & Per.

ANNOTATIONES.

TVS.] Ita ſcribo cum Cellario Orthogr. Lat. *p. 4.* Atque ſic ſcriptum etiam exſtat in codicibus meis A. & B.

1. *odor nemoris*] Tus enim naſcitur in arbore in ſaltibus Sabaeorum, teſte Solino *Polybiſt. cap. 46.* Idem Virgilius nos docet, *Georg. II. 117.* ita canens: *Solis eſt thurea virga Sabaeis. Thuris arborem* etiam Plinius meminit *lib. XII. cap. 15.*

1. *flamma*] Ouidius *Triſt. III. 13. 16. Micaque ſolenni turis in igne ſonat.*

2. *placet hoc ſuperis*] Ouidius *Triſt. II. 76: Capitur minimo turis honore Deus.*

3. *peccandi meritum*] Id eſt, Ego tanquam ſubſtantia rationis expers nullo legis vinculo teneor, adeoque peccare non poſſum, ſed, vt Gelliano vtar vocabulo e *lib. XVII. Noct. Attic. cap. 19. impeccabilis* ſum. Simili loquendi ratione Tacitus vſus eſt *Hiſt. III. 78.*

78. 5: *Antonius*, inquiens, *praepoſtero obſequio crimen meruit.*

3. *cum*] Id eſt, *cum tamen.* Senſus eſt: In ignem mittor, cum tamen nec peccarim quicquam, nec unquam peccare valeam.

Scias, lector, in vulgata editione praeſens aenigma exhiberi quadrupes. Adiicitur ſcilicet verſus quartus hic: *Nec mihi poena datur, ſed habetur gratia, danti.* Quem quidem verſum, quia nimis ſapide ſapit monachum, iure optimo merito eieci.

XLVIII.

MYRRHA.

De lacrymis & per lacrymas mea coepit origo.
Ex oculis fluxi, ſed nunc ex arbore naſcor.
Laetus bonor frondis, triſtis ſed imago doloris.

VAR. LECT.

A. De ſuccino. D. Sucinus. E. Sucinum. 3. A. & C. & D. & E. & Per. frondi. Per. honos.

ANNOTATIONES.

1. *Per lacrymas*] Sic emendauit Caſtalio, idque rectiſſime, vt ego quidem arbitror, Vulgatum eſt *pro lacrymis.* Ipſam fabulam

lam de Myrrha virgine in arborem conuerſa relege in Ouidii *libro X. Metam. v. 500. ſeq.* Idem *lacrymatas myrrhas* vocat Faſt. I. 339.

3. *laetus honor frondis*] Subaudi, *meae eſt.* Imitatus poëta noſter Virgilium eſt, qui ſic fatur *Georg. II. 403: Poſuit cum vinea frondes, Frigidus & ſyluis aquilo decuſſit honorem.* Non moror MSS. codices, qui non exiguo numero habent *frondi.* Nam res ipſa poſcit, vt pauciores ſequamur codices *frondis* habentes. Recordor hic opportune verborum Eraſmi, quae iam olim legi in ipſius *Chil. I. Cent. VI. n. 36: De codicum inter ſe conſenſu, nequaquam mirandum videbitur iis, qui ſunt mediocriter in penſitandis conferendiſque codicibus exercitati. Fit enim ſaepenumero, vt vnius archetypi mendum, modò veri fucum aliquem prae ſe ferat, in vniuerſam deinde veluti poſteritatem librorum propagetur.*

XLIX.
EBVR.

DEns ego ſum magnus, populis cognatus Eois.
Nunc ego per partes in corpora multa receſſi:
Nec remanent vires, ſed formae gratia manſit.

VAR.

VAR. LECT.

1. E. cognatus iſtis. 3. A. & C. Non.

ANNOT.

1. *Dens ego ſum*] Nempe dens elephanti. Hinc Virgilius auſus eſt *elephantum* dicere pro *ebore*. *AEneid. III. 464: Dona dehinc auro grauia ſectoque elephanto Imperat ad naues ferri. Georg. III. 26: Ex auro ſolidoque elephanto.*

L.

FOENVM.

HErba fui quondam viridi de gramine terrae,
Sed chalybis duro mollis praeciſa metallo
Mole premor propria, tecto concluſa ſub alto.

VAR. LECT.

1. Per. fuit. 2. D. ſeu calibus duro ſeu ſum praeciſa meatu. E. ſeu calibis ſeu duro ſum praeciſa meatu.

ANNOTATIONES.

2. *mollis*] Id eſt, ego, quae mollis herba ſum, duro metallo ſum praeciſa.

2. *praeciſa*] Proprie huc congruit id verbi. Hinc elegantes ortae metaphorae. Cicero *lib. II.* ad Q. fratrem epiſt. 10: *Tenediorum libertas ſecuri Tenedia praeciſa eſt.* Seneca *epiſt. 24: qui mala ſua morte praeciderunt.* Cice-

Cicero *lib. II. in Verrem p. 392: iam tibi maximam partem defenſionis praecideris.* Ibidem *p. 396: Velim quaerere ex ipſo Metello, quidnam ſua vi & auctoritate mihi ex hac oratione praeciderit.* Idem *lib. III. in Verrem p. 416: Nunquam ipſimet nobis praecideremus iſtam licentiam libertatemque viuendi.* Ibidem *p. 475: Illa quidem certe tibi praeciſa defenſio eſt.*

LI.

MOLA.

Ambo ſumus lapides, vna ſumus ambo iacentes:
Quam piger eſt vnus, tantum non eſt piger alter.
Hic manet immotus, non deſinit ille moueri.

VAR. LECT.

Per. Molæ. Molaris lapis. *In* D. & E. *deeſt hoc aenigma.* 1. A. & B. & C. & Per. ſumus, ambo iacemus. 2. A. tantum ſed non. C. tam velox non piger. P. & Per. non ſegnis it alter.

ANNOT.

3. *Hic - - ille*] Hoc loco *τὸ hic* pertinet ad remotius, *ille* ad propius. Sic Ouidius *Triſt. I. 2. 23:*

Quocunque adſpicitur, nihil eſt, niſi pontus & aër,
Fluctibus hic *tumidus, nubibus* ille *minax.*

Pari

Pari modo Cicero *lib. de ſenect. cap. 19: Senex eo meliore conditione, quam adoleſcens, cum id, quod* ille *ſperat*, hic *iam conſecutus eſt.* Ille *vult diu viuere*, hic *diu vixit*.

LII.
FARINA.

Inter ſaxa fui, quae me contrita premebant:
Vix tamen effugi totis colliſa medullis:
Et nunc forma mihi minor eſt, ſed copia maior.

VAR. LECT.

2. D. effugio. 3. B. Et tunc. E. Et iam. B. eſt, et.


ANNOT.

1. *Vix tamen*] Quid ſi legamus *vix tandem?*

LIII.
VITIS.

Nolo thoro iungi, quamuis placet eſſe maritam.
Nolo virum thalamo: per me mea nata propago eſt.
Nolo ſepulcra pati: ſcio me ſubmergere terrae.

Tab. II. ad AEn. 86.



VAR. LECT.

2. B. per me me nata. C. per me manata.

ANNOTATIONES.

1. *placet eſſe maritam*] Horatius *IV. 5. 30:* Nunc quisque *vitem viduas ducit ad arbores.* Idem *Epod. II. 9.* de ruſtico: *adulta vitium propagine altas maritat populos.* Virgilius *Georg. I. 2: vlmis adiungere vites.* Idem *Georg. II. 221: intexit vitibus vlmos.* Ouidius *Triſt. II. 143: Vidi ego pampineis oneratam vitibus vlmum.* Et *lib. V. 3. 35: altam degrauat vlmum vitis.* Plinius *lib. XIV. cap. 1: Vites in Campano agro populis nubunt, maritasque complexae,* caetera.

2. *per me mea nata propago eſt*] Plinius eodem loco: *Aliae vites ſobolem nouam in ipſa matre exſpectant.*

3. *ſubmergere terrae*] Plinius *lib. XVII. cap. 23: Totae ſupplantantur in terram vites.*

LIV.

HAMVS.

EXiguum corpus, flexu mucronis aduncum,
Fallaces eſcas medio circumfero fluctu:
Blandior, vt noceam: morti praemitto ſaginam.

VAR. LECT.

1. A. & B. & Per. flexi. C. & P. ferri. E. Exiguum ferri munus. D. Exiguum munus ferri ferronis. 2. Per. circumfero ventre. 3. A. & C. & Per. morti. D. morte praemitto. Per. ſaginas.

ANNOTATIONES.

1. *flexu mucronis*] Sic Virgilius *Georg. I. 179: Magna vi flexa domatur In burim & curui formam accipit vlmus aratri.* Idem eodem libro 244: *flexu ſinuoſo elabitur anguis.*

1. *aduncum*] Editum erat *adunci.* Sed res ipſa docet, legendum eſſe *aduncum.* Ouidius *e Ponto II. 7. 9*:

Qui ſemel eſt laeſus fallaci piſcis ab hamo,
Omnibus vnca cibis aera ſubeſſe putat.

Idem *Metam. XIII. 934*:

- - piſces, quos aut in retia caſus,
Aut ſua credulitas in aduncos egerat hamos.

3. *morti*] Editum erat *mortis.* Sed facile apparet, *morti* reſcribendum eſſe, iſtamque emendationem confirmant codices.

LV.
ACUS.

Longa, ſed exilis, tenui producta metallo,
Mollia duco leui comitantia vincula ferro:
Et faciem laeſis, & nexum reddo ſolutis.

VAR.

VAR. LECT.

C. Acula. Per. Acicula. 2. A. ferri, *ſed gloſſa adſcripſit* ferro. 3. C. Et faciam leui, ſed. D. & Per. ſed nexum.

ANNOTATIONES.

1. *producta*] Id eſt, prolongata. Columella *lib. III. cap. 10: productiſſimum* (vitis) *flagellum. Auguſtinus epiſt. 28: Temporalis vita breuius productiusque non tenditur, quam DEUS*, caetera. Sic ſyllabae longiori mora pronuntiatae dicuntur *produci* & *productius pronuntiari* apud Gellium *IV. 17.* Sic Horatius *de arte poët. v. 190.* praecipit, ut comoedia nec breuior ſit nec longior quinque actibus. *Neue minor*, inquit, *neu ſit quinto productior actu Fabula.* Apud Tacitum *Annal. XIII. 40. 4. productius* vocatur exercitus *cornu*, quod in longiùs, vel, vt Curtius *III. 9. 12.* loquitur, *latiùs extenſum* eſt. Idem *Annal. VI. 48. 1.* dicit *produci vitam*, pro quo Ouidius *Triſt. II. 155: Dii dent tibi longa dabuntque Tempora.* Rurſus Tacitus *Annal. XIII. 52. 3: Senectam vltra eorum vitam produxit, quorum*, caetera.

2. *mollia duco*] Id eſt, duco mollia fila, quae comitantur leue ferrum, id eſt, acum. *Filum coniicere in acum* vocat *Celſus lib. VII. cap. 16. Fila* autem vocantur *vincula*, quia apta ſunt ad aliquid *vinciendum* & conſtringendum. Ita, cum olim filo obligaren-

tur epiſtolae, Ouidius *Triſt. IV.* 7. 7. dixit: *chartae ſua vincula demſi*; & *Corn. Nepos IV.* 4. 1: *vincula epiſtolae laxauit*; & Curtius *VII.* 2. 25: *vinculum epiſtolae ſoluens.* Vnde & Ouidius *Triſt. V.* 2. 1. dixit *ſoluere epiſtolam*, pro quo Cicero *in Catil. III.* 5. *linum incidere.*

2. *comitantia ferro*] Pro *comitantia ferrum. Comitor* enim etiam tertium caſum comitatur. Cicero *Tuſc. lib. V. cap.* 35: *caetera, quae comitantur huic vitae.*

3. *Et faciem laeſis*] Scilicet cùm *horrendum duxerunt glaucomata peplum*, vti Serenus Samonicus loquitur *Cap. XIII. de medicina v.* 31. quam medici *ſuffuſionem* vocant, acus adhibetur, (vnde Germani noſtri dicunt den Staar ſtechen,) cuius ea in re vſum deſcribit ſollicite Cornelius Celſus *lib. VII. de Medicina cap.* 7. §. 14. Graeci propterea medici *παρακέντησιν* vocant.

3. *nexum reddo ſolutis*] Id eſt, conſuo, quae ſeparata erant. Curtius etiam *IV.* 2. 8. *nexus operum* dixit, & *VI.* 5. 15. *nexu conſerere aliquid alteri.*

LVI.

LINVM.

MAior eram longe quondam, dum vita manebat:

Sed

Sed nunc exanimis lacerata, ligata, reuulſa,
Dedita ſum terrae, tumulo ſed condita non ſum.

VAR. LECT.

A. De Ficone. B. Gallica, *vbi tamen gloſſa adſcripſit* Caliga. 2. B. At nunc. D. refulſa. 3. A. *gloſſa addit variantem lectionem*, cumulo.

ANNOTATIONES.

LINVM.] Ita ſcribo pro vulgato CALIGA, quippe in quam non conuenit hoc aenigma. Ac facile credo, huic inſcriptioni occaſionem praebuiſſe titulum ſubſequentis aenigmatis. Antiquiſſimus Anglicanus codex titulum praefert *De Ficone*, quod quid ſibi velit, cum anxie quaererem, ſubſidio mihi venit locupletiſſimus Gloſſographus, Dufreſnius, docuitque, genus quoddam calceamenti monachici ita vocatum fuiſſe illo barbariei Catholicae tractu. Deſcriptor itaque monachus *Caligae* ſubſtituit vſitatius tum nomen *ficonis*. Sed ſic quoque errauit. Nam *linum* hoc aenigmate deſcribi, qui dubitat, mulierculam aliquam ſibi adſciſcat magiſtram, quae vbi frena linguae ſuae laxauerit, etiam patientiſſimum laſſabit auditorem, & vel ampliſſimis commentariis faciendis ſuppeditabit vberem materiam.

teriam. Ego Plinium pro me loqui iubeo, cuius haec ſunt *lib. XIX. Hiſt. nat. cap. 1: Linum euulſum, & in faſciculos manuales colligatum, ſiccatur in ſole. - - Deinde mergitur in aquam, pondere aliquo depreſſum,* id eſt terrâ ceſpititiâ.

1. *vita*] Etiam res inanimatae, quamdiu in natali ſuo loco ſunt & vigorem ſuum creſcendo oſtendunt, *viuae* appellantur. Inde apud Virgilium *Georg. III. 449. ſulphura viua; AEn. III. 688.* & *I. 171. viuum ſaxum; II. 719 flumen viuum.* Etiam Tacitus *Annal. IV. 55. 4.* habet *viuum ſaxum.* Pari modo apud Virgilium *Georg. III. 454. vlcus* dicitur *viuere.* Sic & Horatius *lib. I. oda 19. v. 13. viuum* vocat *ceſpitem,* qui Virgilio *AEn. III. 304.* dicitur *ceſpes viridis.*

LVII.
CLAVVS CALIGARIS.

IN capite ingredior, quia de pede pendeo ſolo:
Vertice tango ſolum: capitis veſtigia ſigno:
Sed multi comites caſum patiuntur eundem.

VAR. LECT.

B. & C. & Per. Clauus. 1. A. & Per. qui. 3. Per. comites multi.

ANNO-

ANNOTATIONES.

CLAVVS] *Claui caligares* Germanice vocantur Schuh-Nägel. Appellatio illa occurrit apud Plinium *Hiſt. nat. lib. IX. cap. 18; lib. XXII. cap. 22; & lib. XXXIV. cap. 14.* Clauos *ſoccis ſuppactos* etiam vocare poſſumus ex Plauto *Trin. III. 2, 94:* & *Bacchid. II. 3. 98.* Teſtatur idem Plinius *lib. XXXIII. cap. 3.* quendam Alexandri M. praefectum *aureis clauis* ſolitum eſſe *ſuffigere crepidas.* Plura de clauis caligaribus vide, ſi libet, in Briſſonii *Antiquitatibus Iuris ſelectis lib. II. cap. 5.* Docte quoque & copioſe de iis diſſerunt Caſaubonus & Duportus, ad Theophraſti Charact. cap. 4. edit. recentiſſ. p. 42. ſq. & p. 290. ſqq.

1. *In capite*] Non dubito, ſic reſcribendum eſſe pro edito *in caput. In capite ingredi* ſignificat auf dem Kopffe gehen, ſicut *pedibus ingredi* dixit Curtius *VI. 5. 5. & VII. 7. 18.*

LVIII.

CAPILLVS.

Findere me nulli poſſunt, praecidere multi.
Sed ſum verſicolor, albus quandoque futurus:
Malo manere niger: minus vltima fata verebor.

VAR. LECT.

Per. Capilli. 1. C. praeſcindere. D. ſed praecidere. 2. Per. canus quandoque.

ANNOTATIONES.

1. *Findere me nulli poſſunt*] Id vulgo creditum fuit. Sed iunioris aetatis artifices, qui *alienis capillis* (vt Hieronymi vtar verbis ex *Epiſt. VIII. p. 66.) turritos vertices nobis ſtruunt*, oſtenderunt, crines etiam fisſiles eſſe.

1. *praecidere*] Elegans dictio, de qua ſupra iam pluribus egi ad *L. 2.*

2. *verſicolor*] Poëta noſter, dum ultimam huius vocis ſyllabam produxit ſequente vocali, Virgilii id exemplo fecit. Is enim *ecl. III. 97.* inquit: *Ipſe, vbi tempus erit, omnes in fonte lauabo.* Et rurſus *X. 69: Omnia vincit amor: & nos cedamus amori.*

2. *albus quandoque futurus*] Ouidius *Triſt. IV. 8. 1: Iam mea cygneas imitantur tempora plumas, Inficit & nigras alba ſenecta comas.* Idem *eleg. X. 93: Iam mihi canities pulſis melioribus annis Venerat, antiquas miſcueratque comas.*

2. *quandoque*] Id eſt, *aliquando, olim.* Sic Tacitus *Annal. VI. 20. 3: Et tu quandoque deguſtabis imperium.* Suetonius in *Vita Neronis cap. 33: Britannicum, ne quandoque apud hominum gratiam paterna memoria praeualeret,*

ret, veneno aggreſſus eſt. Cicero ipſe *lib. VI. ad Fam. epiſt. 19: Ego me Aſturae diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque veniat.* Sulpicius Seuerus *Hiſt. ſacr. lib. I. cap. 13. n. 2.* de Iſraëlitis Pharaonis iugo preſſis: *Quia iam multitudo abundans metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicarent, paruulos recens editos aquis mergere edicto regio cogebantur.* Iuſtinus *lib. VII. 5. 5: Amyntas vxori in ſcelere deprehenſae propter communes liberos, ignarus, eisdem quandoque exitioſam fore, pepercerat.* Seneca *epiſt. XXIV.* ineunti: *Eſt ſine dubio ſtultum, quia quandoque ſis futurus miſer, eſſe iam miſerum.*

LIX.

PILA.

Non ſum cincta comis, & non ſum compta capillis:
Intus enim crines mihi ſunt, quos non videt vllus:
Meque manus mittunt, manibusque remittor in auras.

VAR. LECT.

1. D. & E. cincta capillis. Per. comis vllis, nec crinibus ornor. 2. C. Sed mihi ſunt crines intus. D. mei ſunt. Per. mihi ſunt crines.

ANNOTATIONES.

PILA] Hoc aenigmate poëta noſter *canit formam iactusque pilarum*, vt Ouidii verba huc accommodem e *Triſt. II. 485*.

1. *comta capillis*] Statius *lib. II. carm.* 6 *v. 122: adultum comere crinem.* Tibullus *lib. I. eleg. 8. v. 15: Illa placet, quamuis inculto venerit ore, Nec nitidum tarda comſerit arte caput.* Virgilius *AEn. X. 832: comtos de more capillos.*

3. *manus mittunt, manibusque remittor*] Vtraſque manus poëta deſcribit, & emittentis pilam, & remittentis.

LX.

SERRA.

Dentibus innumeris ſum toto corpore plena:
Frondicomam ſobolem morſu depaſcor acuto:
Mando tamen fruſtra, quia reſpuo praemia dentis.

VAR. LECT.

1. E. & Per. toto ſum. 3. A. & C. & Per. quae. C. dantis.

ANNOTATIONES.

2. *Frondicomam*] Frondes arborum comae vocantur a poëtis. *Redeunt iam gramina*

mina campis, arboribusque comae, inquiebat tempore verno Horatius *lib. IV. od. 7. v. 1.* Hinc poëta noſter felici audacia primus, niſi fallor, fecit *frondicomus*. Imitatus eum videtur Prudentius *Cathem. hymno III. v. 102: Frondicomis habitare locis.*

2 *morſu depaſcor*] Virgilius *AEn. II. 215: ſerpens miſeros morſu depaſcitur artus.* Idem *Georg. III. 458: cum furit atque artus depaſcitur arida febris.*

2. *acuto*] Sonum ſerrae innuit poëta noſter. Huc & reſpicit illud Virgilii *Georg. I. 143: argutae lamina ſerrae;*

3. *praemia dentis*] Id eſt, id, quod dentibus meis aufero. Pertinet huc Taciti illud *Annal. II. 70. 2: neque praemia caedis apud interfectorem manſura.* Curtius *VI. 3. 5: Nos vberrima victoriae praemia exſpectant.*

LXI.
PONS.

STat nemus in lymphis, ſtat in alto gurgite ſylua
Et manet in mediis vndis immobile robur:
Terra tamen mittit, quod terrae munera praeſtat.

VAR.

VAR. LECT.

C. & Per. Stat domus. 2. Per. Permanet & mediis immobile robur in vndis. 3. C. At cum immittit. E. praeſtet.

ANNOTATIONES.

2. *robur*] *Robur* hoc loco ſignat *arborem* Virgilius *Georg. I. 175: ſuſpenſa focis robora.* Idem de heroibus ex equo Troiano prodeuntibus *AEn. II. 260: laetique cauo ſe robore promunt.* Vnde *roborarium* dicitur apud Gellium *lib. II. cap. 20.* pro *viuario.*

3. *mittit, quod terrae munera praeſtat*] *Mittit* hic ponitur pro *emittit.* Vt igitur *India mittit*, (id eſt, *emittit*) *ebur*, canente Virgilio *Georg. I. 57.* ſic noſter dicit, terram emittere lignum, ex quo pontes conficiuntur. *Terra* inquit, *emittit id, quod in mediis aquis vicem & officium terrae praeſtat.* In ponte enim ingrediuntur homines non ſecus ac in terra. *Terrae munera praeſtare* Lactantio noſtro idem eſt, quod Curtio *III. 11. 7. militis munera exequi*, id eſt, ea facere, quae gregariis militibus facienda ſunt.

LXII.

SPONGIA.

IPſa grauis non ſum, ſed aquae mihi pondus inhaeret,

Viſcera

Viſcera tota tument patulis diffuſa cauernis.
Intus lympha latet, ſed non ſe ſponte profundit.

VAR. LECT.

1. A. & C. & D. & E. & P. & Per. inhaeret. 2. A. & B. & C. & Per. tota tument. 3. C. iacet. D. profundet. P. refundit.

ANNOTATIONES.

1. *inhaeret*] Vulgatum erat *inhaeſit*, ſed corrigi hoc iuſſerunt codices.

2. *tument*] Ita pro *tamen*, quod editum erat, recte habent plerique codices MSS.

3. *ſe ſponte profundit*] Sic & Virgilius *AEn. IV. 361: Italiam non ſponte ſequor.*

LXIII.
TRIDENS.

Tres mihi ſunt dentes, vnus quos continet ordo:
Vnus praeterea dens eſt & ſolus in imo:
Meque tenet Numen, ventus timet, aequor adorat.

VAR. LECT.

1. B. & C. & Per. quos vnus. 2. E. & Solus iniquo. Per. & parte ſub ima. 3. E. nomen. Per. vectus timet. Cauſ. tumet.

ANNO-

ANNOTATIONES.

3. *tenet Numen*] Id eſt, Neptunus, quem ea de cauſa *tridentiferum* appellat, itemque *tridentigerum*, Ouidius *Metam. VIII. 597.* & *XI. 203.*

3. *ventus timet*] Ob oculos habet poëta noſter illuſtrem Virgilii locum, vbi Neptunus grauiſſimà voce ventos iubet conticeſcere. Exſtat ille *AEn. I. 128. ſeq.*

Interea magno miſceri murmure Pontum
Emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus:
— — *grauiter commotus* —
— — — — *talia fatur:*
Iam coelum terramque meo ſine numine, venti,
Miſcere & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. — — —
Maturate fugam.

3. *aequor adorat*] Mea haec correctio eſt. Vulgatum erat *aequora curant:* quod quia ieiunius dictum mihi videbatur, mutaui in *aequor aderat.* Nec dubito, me ſinceram ſic reſtituiſſe ſcripturam. Sane enim aequor Neptunum, Deum quippe ſuum, adorat ex poëtarum ſententia. Is enim *tumidis regnat in vndis*, vt ait Ouidius *Triſt. I. 4. 77.* Eſt *Deus immenſi maris, ac ſua nautae Numina ſola colunt*, vt Virgilii verbis vtar e *Georg. I. 29.* depromtis. Pulchre etiam Seneca in *Medea I. 1. 4.* Neptunum vocat *dominatorem maris.*

LXIV.

LXIV.

SAGITTA.

SEpta graui ferro, leuibus circumdata pennis,
Aëra per medium volucri contendo meatu,
Miſſaque diſcedens nullo mittente reuertor.

VAR. LECT.

1. D. pinnis. 3. B. & Per. deſcendens. D. Niſaque diſcendens.

ANNOTATIONES.

3. *miſſaque*] Pro *emiſſa*. Tela & ſagittae dicuntur *emitti* a Curtio *III. 11. 4.* & *VIII. 9. 28.* Idem tamen & *mittere ſagittas* dixit *VIII. 14. 32.* & *VII. 9. 9.* Sic & Cornelius Nepos *cap. X. 6.* narrat, barbaros Alcibiadem *telis miſſis interfeciſſe*. Hinc *ſagittam* appellauit *miſſilem* Horatius *lib. III. oda 6. v. 19:* & Curtius paſſim ſagittas vocat *miſſilia*, e, g. *IV. 2. 21. IV. 3. 15.* Etiam Hebraei *mittere* dixerunt pro *emittere*. Duo exempla vnum *Geneſeos* caput tertium ſubminiſtrat, vbi *v. 22.* de eo, qui manum *emittit*, ac *v. 23.* de Deo, qui ex horto *emittebat* Adamum, vſurpatur vox שלח *miſit*.

3. *miſſaque diſcedens*] Id eſt, cum diſcedo in auras, tunc eſt aliquis, a quo emittor: at cum reuertor, nemo me ex arcu remit-

T. IV. p. 140. vbi plura huius generis exempla conduxi e Virgilio.

LXVI.

LATERNA.

Cornibus apta cauis, tereti perlucida gyro,
Lumen habens intus diuini ſideris inſtar,
Noctibus en mediis faciem prope reddo dierum.

VAR. LECT.

1. Per. perlucida vitro.

ANNOTATIONES.

LATERNA.] Adſcribo merito Martialis epigramma LXI. e libro XIV. quod eſt in *laternam corneam:*

Dux laterna viae clauſis feror aurea flammis,
Et tuta eſt gremio parua laterna meo.

Laternae vocabulum reperio & apud Ciceronem *lib. IV. ad Attic. epiſt. 3.*

1. *apta*] Haec vox vt hic loci recte capiatur, monendum mihi eſt, eam eſſe participium ab antiquo verbo *apere.* Cicero *lib. I. de offic. cap. 18: ex honeſto aptum eſt officium.* Ennius apud eundem *lib. III. cap. 29.* ſimulacrum Deae Fidei alatum vocat *pennis aptum.* Rurſus Cicero in *Paradoxo*

ſecundo ſapientem ait eſſe *totum aptum ex ſe-ſe, in ſeque vno ſua ponere omnia.* Idem *de Vniuerſo cap. 5: qua ex coniunctione coelum ita aptum eſt*, id eſt, compoſitum & contextum. Vide & Laurembergii *Antiquarium* in *aptus*. Iam igitur vides, lector, laternam dici *cornibus aptam*, id eſt, e cornibus compoſitam artificioſe.

2. *diuini ſideris inſtar*] Dicere noſter e Virgilio *AEn. III. 637.* potuiſſet: *Phoebeae lampadis inſtar.* De voce *inſtar* ſupra ſatis dixi ad *Praef. v. 11.*

3. *Noctibus en mediis faciem prope reddo dierum*] Vulgatum eſt: *Noctibus in mediis faciem non perdo dierum:* quae ſcriptura Latiniſſimo Lactantio noſtro prorſus eſt indigna. Et quam facile *en* corruptum fuit in *in!* Ex altera vero ſyllaba vocis *prope* & *reddo*, id eſt, ex *pe reddo*, enatum mihi videtur ineptum illud *perdo*. Non poſſum facere, quin adſcribam deſcriptionem Virgilianam noctis lucernis illuſtratae ex *AEn. I. 730: Dependent lychni laquearibus aureis Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.*

LXVII.
SPECVLAR.

PErſpicior penitus, nec luminis arceo viſus,

Trans-

Tranſmittens oculos intra mea membra meantes:
Nec me tranſit hyems, ſed ſol tamen emicat in me.

VAR. LECT.

A. De vitreo ſpecular. Per. Vitrum. 1. Per. Perſpicior cunctis.

ANNOTATIONES.

SPECVLAR.] Eſt orbis vel quadra feneſtrae inſerta ad recipiendam lucem & excludendas coeli iniurias. Materia erat lapidis quoddam genus, quem *ſpecularem lapidem* vocabant, cuius ea erat natura, vt *findi poſſet in quamlibet tenues cruſtas:* Teſtis eſt Plinius *Hiſt. nat. lib. XXXVI. cap. 22.* Audi & Senecam, quo tempore is lapis huic vſui fuerit accommodatus, his verbis ediſſerentem *Epiſt. XC: Quaedam noſtrâ demum prodiſſe memoria ſcimus, vt ſpeculariorum vſum, perlucente teſta clarum tranſmittentium lumen.* Vnde Catanaeus ad Plinii *lib. I. epiſt. 17: Vti noſtra tempeſtate,* inquit, *vitreis orbibus conglutinatis frigus & ventos arcemus; ſic olim lapidibus ſpecularibus in quamlibet tenues cruſtas fiſſis.*

2. *intra mea membra*] Id eſt, oculi non inſunt in ſpeculari, ſed cis ſpecular, vt ſic loquar, in conclaui verſantur.

3. *nec me tranſit hyems*] *Specularia* enim nos *ab afflatu vindicant*, quae Senecae verba ſunt *lib. de prouid. cap.* 4. Sic Plinius *lib. II. epiſt.* 17. memorat *egregium* quoddam *adverſus tempeſtates receptaculum. Nam* (ita addit) *ſpecularibus munitur.*

LXVIII.

SPECVLVM.

Nulla mihi certa eſt, nulla eſt peregrina figura:
Fulgor ineſt intus radianti luce coruſcans,
Qui nihil oſtendit, niſi ſi quid viderit ante.

VAR. LECT.

1. A. & B. & D. nulla peregrina. 2. A. & B. & C. & D. & E. & Per. coruſcans. Per. radiata. 3. A. niſi iam quod. B. niſi ſi quod. D. niſi quod peruiderit.

ANNOTATIONES.

SPECVLVM.] In hoc aliud non minus elegans aenigma compoſuit Nicolaus Reuſnerus, Partique ſecundae ſuae *AEnigmatographiae* inſeruit. En illud:

Cuique ſuam reddo faciem, mihi reddere ſoli,
Neſcia, nec vita praedita nec facie.

1. *nulla eſt peregrina figura*] Subaudi *mihi:* hoc eſt, nulla eſt figura, quam non repraeſentare poſſim.

2. *coru-*

2. *coruſcans*] Editum erat *coruſcus*, neque inepta huic loco ea vox eſt. Verum auctoritate tot codicum veterum victus non potui non reſcribere *coruſcans*. Illud addo, ab auctore noſtro innui *aereum ſpeculum*, quod διαυγὲς κάτοπτρον vocat Callimachus. Talia ex aere ſpecula fuerunt, quae mulieres piae tradiderunt ad faciendum inde labrum tabernaculi Moſaici aeneum: id quod ſcriptum legimus *Exodi XXXVIII. 8.* ad quem locum conſuli meretur Ioannes Clericus, item Herm. Witſius *Miſcell. ſacr. lib. II. diſſ. I.* § *17. p. 406. ſq.*

LXIX.

CLEPSYDRA.

Lex bona dicendi, lex ſum quoque dura tacendi:
Do linguae frenos auidae ſine ſine loquendi
Ipſa fluens, dum verba fluunt, vt lingua quieſcat.

VAR. LECT.

A. De clipſedra. B. Cleſedrus. C. Clepſidra. D. & P. & Cam. & Per. Clepſydra. 2. A. & B. & D. & E. & P. & Per. & Cam. Ius auidae linguae. B. fines ſine fine. 3. Per. fluant, aut lingua.

ANNOTATIONES.

CLEPSYDRA.] Vulgata inſcriptio erat

RATIO. Sed neſcio, qua ratione hic titulus irrepſerit, cum tot codices conſpirent in *clepſydram*.

2. *Do linguae*] Totus hic verſus vbique codicum exhibetur deprauatiſſimus. En vulgatam eius editionem: *Vis auidae linguae finis, ſine fine loquendi.* Diuturna fuit opus inueſtigatione, vt menda eluerem. Rei tamen ipſius conſideratio viam mihi aperuit ad veram ſinceramque ſcripturam. Repraeſentat ſcilicet auctor clepſydram, qua iudices aduocatis in foro verba facientibus *indicebant ſilentium*, vt Plinius loquitur *lib. I. epiſt. 23.* Auctor huius rei Pompeius fuit, quem primum Quintilianus *Dial. de cauſ. corr. eloq. cap. XXXVIII. 2.* teſtatur *impoſuiſſe veluti frenos eloquentiae.* Atque hic ipſe locus me adduxit, vt pro *finis linguae* ſcriberem *frenos linguae.* Caeterum ſi forte dubitas, an recte ex conſuetudine veterum dicatur *dare frenos linguae* pro *iniicere ei frenos*, (ego certe non memini, illam dictionem vſquam hoc ſenſu mihi repertam eſſe:) cogita, an ita malis emendare: *Iniicio linguae frenos ſine fine loquenti.* Profecto *iniicio* haud difficulter corrumpi potuit in *ius auidae*, quod plerique habent libri veteres.

LXX.

PVTEVS.

Merſa procul terris in ceſpite lympha profundo
Nonniſi perfoſſis poſſum procedere terris,
Et trahor ad ſuperos alieno ducta labore.

VAR. LECT.

2. C. procedere venis. D. & E. & P. procedere rimis. Per. profuſis poſſum procedere venis. 3. A. Et labor. C. & B. & Per. Et trahor. D. & E. Eſt labor.

ANNOTATIONES.

1. *procul terris*] Id eſt, procul a ſuperficie terrae. Curtius *IX. 5, 4: procul muro.* Idem *V. 5. 5: procul vrbe.* Putei enim ſaepe ſunt profundiores. Plautus *Mil. glor. IV. 4. 14: Ex alto* (id eſt, profundo) *puteo ad ſummum adſcendere.* Virgilius *Georg. II. 230: altèque iubebis In ſolido demitti puteum.*

2. *procedere terris*] Vulgatum erat: *procedere riuis.* Quae lectio cum aliena hoc loco ſit, res ipſa me iuſſit reſcribere *terris.* Ac meae huius ſcripturae veſtigia ſatis clara ſuperſunt in codicibus, quorum alii habent *rimis* alii *venis.*

3. *Et trahor*] Vulgatum erat *labor &*, quam ſcripturam a ſe profectam eſſe, fatetur Caſtalio. Ego partim codices ſecutus ſum duces, partim rem ipſam.

LXXI.

TVBVS.

TRuncum terra tegit, latitant in ceſpite lymphae:
Aluèus eſt modicus, qui ripas non habet vllas:
In ligno vehitur medio, quod ligna vehebat.

VAR. LECT.

3. B. modico, quod ligna vehebant. Per. *modico, quae ligna vehebat.*

ANNOTATIONES.

TVBVS.] Id eſt, ligneus canalis, per quod aqua deducitur.

3. *quod ligna vehebat*] Id eſt, id, quod antea ligna vehebat, naues ſcilicet ac rates, nunc vehitur medio in ligno.

LXXII.

FOLLIS.

NOn ego continuo morior, dum ſpiritus exit:
Nam redit aſſidue, quamuis mihi ſaepe recedit.
Et mihi nunc magna eſt animae, nunc nulla facultas.

VAR.

VAR. LECT.

A. De follibus. B. & C. & P. & Per. Follis. 2. B. & D. recedit. C. in ſaepe recedit. 3. A. magna eſt anima, nunc. B. & C. Et mihi nunc magna eſt animae, nunc. D. magna eſt animae. E. magna anima eſt, nunc. P. magna ineſt animae. Per. Et mihi nunc animae magna eſt. Cam. Nuncque mihi magna eſt animae.

ANNOTATIONES.

FOLLIS.] Vulgatus erat titulus *VTER.* Verum veteres libri recte habent *FOLLIS.*

2. *quamuis mihi ſaepe recedit*] Editum erat: *quamuis & ſaepe recedat. Recedit* recepi e tribus codicibus. Tò *mihi* erui ex illo codice, qui ſic habet: *quamuis in ſaepe recedit.* Scilicet ex *mihi* natum fuerat contractum *mi*, vnde facilis corruptio in *in.* Audiatur hic & Virgilius *Georg. IV.* 171: *follibus auras Accipiunt redduntque.*

LXXIII.

LAPIS.

DEucalionis ego crudeli ſoſpes in vnda
Affinis terrae, ſed longe durior illa.
Litera decedat: volucris quoque nomen habebo.

VAR. LECT.

1. A. & B. & C. & D. & E. crudelis hoſpes. D. & Per. ab vnda. 3. A. & B. & C. & P. & Per. volucris quoque. D. volucrum nomen. E. volucrum ſic.

ANNOTATIONES.

1. *Deucalionis*] Editum erat: *Deucalion ego ſum crudelior hoſpes in vnda.* Quam ſcripturam eſſe falſam, admodum obeſae naris ſit neceſſe eſt, qui negare ſuſtineat. Sed facilis mihi fuit emendatio. Cui enim ignota eſt fabula veterum de Deucalione, qui miſſis poſt tergum lapidibus humanum genus, aquis toti terrae orbi immiſſis necatum, oraculi iuſſu repararit? Breuiter id narrat Virgilius *Georg. I. 62.* itemque Iuuenalis *ſat. I. 82. ſq.* ſed copioſius Ouidius *lib. I. Metam. fab.* 7. Hinc idem Ouidius *Met. lib. VII. 357.* vocauit *Deucalioneas vndas.* Pari modo noſter poëta dicere potuit *Deucalionis vndam:* quam cur *crudelem* vocet, nemo non intelligit. Iam quis non videat, ex *crudeli ſoſpes* factum eſſe *crudelis hoſpes*, quod quinque codices habent? Imo vero quis non intelligat, hoc eſſe referendum inter ea menda, quae orta inde ſunt, quod parum attenti librarii dictata male perciperent: cuius generis exempla multa promit Abrahamus Ortelius in *Indice rerum Theſauro* ſuo *Geographico* praemiſſo ſub titulo *Librarii*, & Io. Clericus, vir harum literarum conſultiſſimus, in *Arte Critica P. III. ſect. I. cap. 8. §. 4. ſqq.*

3. *volucris quoque*] Vulgatum erat: *volucris*

lucris tum. Quae lectio non eſt incommoda. Sed quia nullus vetus liber ei ſuffragatur, ac plerique habent *volucris quoque*, mihi quoque retinendam tuendamque duxi hanc ſcripturam.

LXXIV.

CALX.

EVaſi flammas, ignis tormenta profugi:
Ipſa medela meo pugnat contraria fato.
Ardeo de lymphis, mediis incendor ab vndis.

VAR. LECT.

1. A. & C. & D. & P. & Per. profugi. 2. A. & B. medulla. *Gloſſa tamen in A. adſcripſerat:* Lege medela. D. medella. E. pugnet. D. fatu. 3. A. de lymphis mediis incendor ab igne. D. ardeo demſis, medios incendor ad ignes. P. calidis incendor ab vndis. B. Infrigidor lymphis calidis, incendor ab vndis. C. Infringor lymphis calidis, incendor ab vndis.

ANNOTATIONES.

1. *profugi*] Vulgatum erat *refugi*, quod correxi e codicibus MSS.

2. *Ipſa medela*] Sententiam huius verſus ita expreſſit Plinius *Hiſt. nat. lib. XXXVI. cap. 23: Mirum, aliquid, poſtquam arſerit, accendi aquis.*

3. *incendor ab vndis*] Plinius *lib. XXXIII. cap. 5.* extremo: *Calx aquâ accenditur.*

LXXV.

LXXV.

SILEX.

Semper ineſt intus, ſed raro cernitur ignis.
Intus enim latitat, ſed ſolos prodit ad ictus:
Nec lignis, vt viuat, eget, nec, vt occidat, vndis.

VAR. LECT.

2. D. ictos. 3. D. & E. nec occidat. *Sed in codice C. totum aenigma ſic legitur:* Magna mihi duro mollitur ſemper ab igne, Tanteſque ſicco intus mihi virtus adhaeret, Semper ineſt in me, ſed raro cernitur ignis. *Pari modo in editione Perionii ſic exhibetur praeſens aenigma:*

Virtus magnà mihi duro mollitur ab igne.
Ceſſantique foco virtus tamen intus adhaeret.
Semper ineſt in me, ſed raro cernitur ignis.

ANNOTATIONES.

Hoc aenigma, quod a Perionio, & in codice Anglicano tertio, aliter exhibetur, parum curo. Stylus duarum harum editionum ſatis manifeſto prodit aeuum Lactantianam haud aequans eloquentiam. Videtur lacer quiſpiam codex, in quo aenigma hoc ita corruptum erat, vt vix vnus eius verſus legi poſſet, otioſo monacho occaſionem praebuiſſe, ſuo ex ingenio reſarciendi damnum.

2. *intus enim latitat*] Virgilius *Georg. I. 135: Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.* Idem *AEn. VI. 6: ſemina flammae abſtruſa in venis ſilicis.*

LXXVI.

ROTAE.

QVatuor aequales currunt ex arte ſorores
Sic, quaſi certantes, cum ſit labor omnibus vnus,
Et prope ſunt pariter, nec ſe contingere poſſunt.

VAR. LECT.

B. & C. & Per. Rotae. 1. A. & C. ex parte. Per. aequali—ex parte. D. ſororis. 3. Per. unà, neque ſe.

ANNOTATIONES.

ROTAE] Vulgatum erat *ROTA.* Verum duorum codicum ſcripturae patrocinatur res ipſa. Poteſt etiam ex Pithoeano codice pro lemmate recipi *QVADRIGA.*

1. *aequales*] *AEquales ſorores* Latinis adeoque & noſtro auctori dicuntur, qui aetate pares inter ſe ſunt. Corn. Nepos in *Vita Attici cap. XVIII. 1: Nunquam cum ſorore fuit in ſimultate, quam prope aequalem habebat.* Ibidem *cap. 1. 3: in pueritia nobilis*

lis inter aequales ferebatur. Apud Curtium *VII. 11. 8.* Alexander ita alloquitur quosdam milites: *Vos iuuenes & mei aequales*, id eſt, coaetanei mei, vt iunioris aeui verbo vtar.

1. *ex arte*] Sicut Cicero dixit *lib. V. de fin. cap. 17: Hic ſtatus corporis eſt maxime e natura;* ſic noſter recte potuit dicere *ex arte.* Scilicet non *ex natura* ſimul currunt quatuor rotae, ſed *ex arte.* Pari modo Ouidius *Triſt. 1.1. 107.* dicit *libros ex ordine poſitos.* Sic Virgilius *Georg. IV. 4: totius ex ordine gentis Mores, & ſtudia, & populos, & praelia dicam.* Idem *AEn. I. 460: videt Iliacas ex ordine pugnas.* Audacius Curtius *X. 5. 32.* ſcribit: *Nec vlla niſi ex permiſſo voluptas* Alexandro erat. Sic & *ex more*, item *ex conſuetudine*, dixerunt auctores non infimi ſubſellii.

3. *& prope ſunt pariter*] *Pariter prope*, id eſt, aeque prope. Curtius *V. 2. 7: ex qua* (pertica) *ſignum eminebat pariter omnibus conſpicuum*, welches einer eben ſo gut ſehen kunte, als der andere. Idem *VII. 9. 22: vt omnes, qui defecerant, pariter* (id eſt, aeque grauiter) *belli clade premerentur.*

LXXVII.

LXXVII.

SCALAE.

NOs ſumus, ad coelum quae tendimus alta petentes,
Concordi fabrica, quas vnus continet ordo,
Vt ſimul haerentes per nos ſcandatur ad auras.

VAR. LECT.

Per. Scala. 1. A. *Gloſſa ad* ſcandimus *adſcripſit:* Lege tendimus. B. Poſſumus ad coelum. C. quia ſcandimus. D. & E. quae tendimus. 3. Per. Et ſimul—mittentur.

ANNOTATIONES.

1. *tendimus*] Editum erat *ſcandimus*. Sed ſunt codices, qui habent *tendimus*. Recte. Non enim ſcalae *ſcandunt* homines. Virgilius *AEn. I. 209: Tendimus in Latium.*

2. *quas vnus continet ordo*] Idem hemiſtichium ſupra adfuit *cap. LXIII. 1.*

3. *ſcandatur*] Sic correxi vulgatum *comitentur*. *Vt*, inquit poëta noſter, *per nos ſimul haerentes ſcandatur ad auras. Euado ad ſummi faſtigia culminis*, inquit Virgilius *AEn. II. 458.* Quomodo autem *ſcandatur* corruptum ſit in *comitentur*, facilis eſt coniectura. Prima ſcilicet litera vocis *ſcandatur* abſorpta eſt ab vltima litera proxime praemiſſi *nos*: quod ſaepe factum, in *Arte*

Arte Critica obſeruauit & exemplis demonſtrauit Scioppius.

LXXVIII.
SCOPA.

Mundi magna parens, laqueo connexa tenaci,
Iuncta ſolo plano, manibus comprenſa duabus,
Ducor vbique ſequens, & me quoque cuncta ſequuntur.

VAR. LECT.

1. B. & C. & Per. In ſyluis genita & laqueo. B. & C. complexa. 2. A. comprenſa. D. complexa preſſa duobus. D. vincta ſolo. 3. D. ſequens, me quoque. Per. Quòque ſequens ducor, ſimul & me cuncta ſequuntur.

ANNOTATIONES.

1. *Mundi magna parens*] Peracuta ambiguitate *ſcopa* hic appellatur *mundi magna parens*, cum & Deum ſic poſſimus affari: *Mundi magna parens.* Sed acumen poëtae noſtri non perſpicientes monachi prius hemiſtichium, vt e codicibus duobus apparet, correxerunt ſcilicet. *Mundus* enim hic loci ſignat *munditiem*, ac notum eſt argutum illud: *mundus immundus.* De voce *parens* adiungam loca aliquot, quae

quae noſtrum illuſtrent. A Virgilio *Georg. II. 173.* Italia vocatur *magna parens frugum.* Horatius *lib. I. oda 10. v. 6.* Mercurium, cui lyrae inuentionem tribuunt fabulae, *curuae* vocat *parentem lyrae.* Ouidius *Triſt. I. 6. 35.* & *III. 14. 15.* ſe ipſe vocat *parentem librorum ſuorum*, id eſt, auctorem. Quid? Quintilianus *lib. II. Inſtit. orat. cap. 17. Deum* vocat *parentem rerum fabricatoremque mundi.* Plinius vero *Hiſtoriae naturalis* capite omnium vltimo Italiam vocat *parentem mundi alteram*, naturam ſubinnuens, quaſi *parentem mundi κατ' ἐξοχὴν* dicendam.

1. *tenaci*] Eodem modo Virgilius *Georg. II. 421.* dixit *raſtros tenaces.*

2. *comprenſa*] Cum editum eſſet *compreſſa*, vocem *comprenſa* reuocaui ex codice perantiquo. Sic Virgilius *AEn. III. 624: prenſa manu.* Curtius *VII. 1. 19: Lanceam laeuâ comprehendit.* Idem *VII. 8. 25: pennas*, id eſt, alas Fortunae, *comprehendere*, ſubaudi *manibus.*

LXXIX.

TINTINNABVLVM.

AEre rigens curuo patulum componor in orbem:

O *Mobi-*

Mobilis eſt intus linguae crepitantis imago.
Non reſonat poſitus, motus quoque ſaepe reſultat.

VAR. LECT.

1. A. & C. & D. & E. patulum — orbem. 3. C. Nam remouent penitus. D. Dum gaudu ſubito, mater mea me laniabit. E. Gaudeo dum ſubito, mater mea me laniauit.

ANNOTATIONES.

1. *patulum c. i. orbem*] Sic legendum eſſe ſtatim vidi pro vulgato *patulo c. i. orbe.* Confirmant hanc emendationem plures codices.

2. *crepitantis*] Etiam Virgilius *Georg. IV.* 151. cymbala vocat *aera crepitantia.*

3. *Non reſonat*] Duo deterioris notae codices hic exhibent verſum alieniſſimum. Sed, vnde hoc factum ſit, ſi quis quaerat, is ſciat, in duobus iſtis codicibus hic duo aenigmata eſſe in vnum confuſa, adeoque prioris tertium, poſterioris duo priores verſus abeſſe. Poſterius autem aenigma infra videbis loco vltimo, vbi ſic editus eſt verſus tertius: *Dum cecidi infelix, mater mea me diuiſit.*

3. *poſitus, motus*] Subaudi e *v. i. orbis.*

LXXX.

LXXX.

CONDITVM.

Tres olim fuimus, qui nomine iungimur vno.
Ex tribus eſt vnus, tres & miſcentur in vno,
Quiſque bonus per ſe, melior, qui continet omnes.

VAR. LECT.

A. De potu ex melle. B. & C. & Per. Conditus potus. 2. A. & C. & D. & E. & tres miſcentur. B. tres & miſcentur. 3. D. in ſe.

ANNOTATIONES.

CONDITVM.] *Conditum* dicitur cibarium *elegantia & ſuauitate mirifica excoctum*, inquit Ioan. Bapt. Pius in *Annotationibus linguae Latinae Graecaeque cap. 183.* Non tamen diſplicet mihi titulus *CONDITVS POTVS*, ob verſum tertium, vbi *melior* exſtat, non *melius*. Addo eiusdem Pii epigramma in *conditum*, quod eodem loco (p. 565. editionis Gruterianae) exhibet:

Condito mihi opus. Conditi nominis vnde,
Propoſitum? Graecis vox aliena ſonis.
Si bene Romana conditum *voce loquuntur,*
Ipſe ſcies, linguae qui decus es Latiae.
Id quodcunque para. Stomachi penetralia morbus.
Occupat: hoc potu tingier illa iuuat.

1. *Tres olim fuimus*] Ad haec verba gloſſa antiquiſſimi codicis Anglicani haec adſcripſit: *id eſt, mel & vinum & piper.*

2. *tres & miſcentur*] Vulgata editio: *tres commiſcentur.* Sed codicum MSS. maior eſt fides & auctoritas.

LXXXI.
ACETVM EX VINO.

SVblatum nihil eſt, nihil eſt extrinſecus auctum:
Nec tamen inuenio, quod in iſto vaſe reliqui.
Quod fuerat, non eſt: coepit, quod non erat, eſſe.

VAR. LECT.

1. B. Sublatum eſt mihi nil, & nil extrinſecus. 2. B. Quod fueram, non ſum, quod eram, non nunc fore coepi. C. & Per. Quod fueram, non ſum, coepi, quod non erat, eſſe. 3. B. & Per. inuenio. A. & C. & D. & Per. ipſe reliqui. B. ipſa reliqui.

ANNOT.

2. *Nec tamen*] In editione vulgata poſteriores duo verſus ſunt tranſpoſiti, atque ſic fluunt:

Quod fuerat, non eſt, coepit quod non erat eſſe.
Nec tamen inueni, quicquid prius eſſe reliqui.

Poſte-

Poſteriori verſui erat opus emendatione. Tò *inuenio* hauſi e vetuſtis libris manu exaratis. Caetera per me corrigere coactus ſum.

LXXXII.

MALVM.

Nomen habens Graecum, contentio magna dearum,
Fraus iuuenis pulchri, multarum cura ſororum,
Excidium Troiae, cui bella cruenta paraui.

VAR. LECT.

Per. Malum, μῆλον. 1. A. & C. & D. & E. & Cam. Nomen ouis Graece. P. & Per. Eſt mihi nomen ouis. 2. A. & B. & C. & D. & E. & P. & Per. & Cam. iuuenis functi. 3. Per. quae bella. 4. A. Hoc volo, ne breuiter mihi ſyllaba prima legatur. D. & E. *quarto verſu carentes hunc habent tertio loco:* Hoc volo, ne breuior mihi ſyllaba prima legatur. Cam. *etiam tertio loco exhibet, quartum nullum habens, hunc verſum:* Hoc volo, ne breuiter mihi ſyllaba prima legatur.

ANNOTATIONES.

1. *Nomen habens Graecum*] Vti e φήμη fit *fama*, ſic e μῆλον *malum*, e μήτηρ *mater*. Scilicet Dores pariter ac AEoles η in α mutare ſolebant. Vid. Heupelius *de dialectis Graecis Can. 257. & 340.* Plerique codices habent *ouis* prô *habens*. Ac ſane μῆλον etiam

ouem apud Graecos ſignificat. Verum cum ex hac ſcriptura oriatur acumen admodum frigidum, monachoque, quam Lactantio, dignius; retinui *habens*, nec dubito, alteram ſcripturam eſſe profectam a monacho Graecae linguae non imperito eodemque inepte ſedulo. Illud praeterire nolo, fuiſſe viros perdoctos, quibus illa vox μῆλον errandi praebuit occaſionem, vt Latine eam redderent per *ouem*, vbi per *malum* erat transferenda: cuius rei exempla protulerunt Paulus Leopardus *lib. III. Emendat. cap.* 23. & Io. Georg. Graeuius *Lect. Heſiod. cap. 3. p. 16.*

1. *contentio magna dearum*] Quid hoc ſibi velit, ex Luciano diſcere licet, qui & in *Sympoſio p. 649.* & in *Dialogo Panopes & Galenes p. 246.* ex vetuſta fabula refert, Eridem Deam, cum non eſſet ad Pelei nuptias inuitata, aureum quoddam malum ita inſcriptum: ACCIPIAT PVLCHERRIMA, in medium proieciſſe conuiuium; ortam hinc eſſe grauisſimam litem inter Iunonem, Venerem & Mineruam, ab iisque Paridem electum arbitrum Venerem caeteris praetuliſſe. Ortum hinc prouerbium: *Pomum Eridis.*

2. *fraus iuuenis*] Innuitur fabula de Hippomene, qui Atalantam, Schoenei filiam forma praeſtantiſſimam, curſu vicit,

cit, poſtquam obiectis tribus malis aureis eam retardarat. Copioſe id exponit *Ouidius Metam. lib. X. fab. 12.* & Hyginus *fab. 185.* Potuit tamen poëta noſter & illam ob oculos habere fabulam de Acontio, qui pomum iureiurando inſcriptum legendum obtulit Cydippae, eamque eo pacto ſe redamare coëgit. Vnde ipſa Cydippe in epiſtola ſua Ouidiana ad Acontium *v. 107:*

Mittitur ante pedes malum cum carmine tali:
Heu mihi! iuraui nunc quoque paene tibi.
Suſtulit hoc nutrix, mirataque: Perlege, dixit,
Inſidias legi, magne poëta, tuas.

Geminam de Cteſylla & Hermochare fabulam ex Nicandro produxit Antoninus Liberalis *Metamorph. cap. 1.*

2. *iuuenis pulchri*] Reclamant omnes codices, praeferuntque *functi.* Sed iam ſupra *XV. 3.* me obſeruare memini, librarios literas *f* & *p* permiſcuiſſe: & hoc quidem loco error librariorum eſt maxime manifeſtus. Dico igitur hic cum Grutero *lib. III. Suſpic. cap. 1: Non perturbor exemplarium conſenſu. Vidi quippe ſaepius, cum vna ouis in flumen deſiliret, reliquum gregem ocyùs inſequi.*

2. *multarum cura ſororum*] Innuit poëta *Heſperidum mala*, Virgilio *ecl. VI. 61.* memorata. Totam fabulam eiusque originem

exponit Palaephatus *cap. 19.* & Natalis Comes *Mythol. lib. VII. cap. 7.*

3. *Excidium Troiae*] Reſpicitur Paris, qui occaſione mali ab Eride obiecti lectus arbiter ſecundum Venerem pronuntiauit ſententiam: cuius rei praemium a Venere accepit Helenam, quae, vt Ciceronis verbis e *ſecunda Philippica* vtar, *Troianis cauſa belli exitiique fuit.*

3. *excidium Troiae*] Virgilius *AEn. V. 626: Septima poſt Troiae excidium iam vertitur aeſtas.*

3. *cui bella cruenta paraui*] Sic reſcribo pro vulgato: *dum bella cruenta peregi.* Si quis tamen forte acutius mendum tollere valet, ei non equidem inuidebo, mirabor magis. Caeterum in nonnullis codicibus praeſens aenigma exhibetur quarto hoc verſu auctius: *Hoc volo, ne breuiter* (vel *breuior*) *mihi ſyllaba prima legatur.* Qui quidem verſus inſipidum profecto ſapit monachum, maiorique iure locum meretur in *Alexandri Doctrinali*, quam in Lactantii *Sympoſio.* Liceat vero & aliud hic exhibere *de malo* epigramma, quod Scheferum quendam auctorem habet, & in altera Parte *AEnigmatographiae* Reuſnerianae exſtat *p. 147:*

Hippomenes quali cepit Schoeneida pomo:
Cydippes niueae quale tulere manus:

Blanda

Blanda ſuum quali Galatea petebat amantem:
Aut vir ab Heſperio quale dracone tulit:
Tradere debueras etiam mihi tale, ſed offers
Putre: quis effectus muneris huius erit:
Malo malo malo veſci, quam figere malis
Oſcula moroſae virginis vda malis.

LXXXIII.

PERNA.

NObile duco genus magni de gente Catonis
Vna mihi ſoror eſt, plures licet eſſe putentur.
De fumo facies, ſapientia de mare nata eſt.

VAR. LECT.

3. B. deque mari ſapor inhaeſit. C. de mari mihi ſapor inhaeſit. P. & Per. mihi de mare guſtus inhaeſit. Cam. ſapientia per mare nata eſt.

ANNOTATIONES.

1. *de gente Catonis*] Alludit ad familiam M. Porcii Catonis de qua diſputat copioſe Gellius *Noct. Attic. lib. XIII. cap. 18.* Vti enim Roma vetus *Brutos, Beſtias, Verres, Apros, Aſinios, Catulos, Caninios* habuit, ſic & *Porcios*. Ex eadem familia fuit M. Grunnius Corocotta Porcellus, cuius ludicrum teſtamentum exhibet Taubmannus in *Commentario*

ad Culicem Virgilianum p. 146. & 147. Plures feſtiui illius teſtamenti editiones commemorat in *Bibliotheca* ſua *Latina lib. IV. cap. 5. §. 4. p. 749.* Fabricius.

3. *ſapientia*] *Sapientia* hic loci primitiuam gerit notionem, & *ſaporem* ſignat. Innuitur ſcilicet *ſal*, quo pernae ſaliuntur. Cumque ſal in mari gignatur, hinc ſapientia pernae de mari nata dicitur. Pertinent huc Lactantii verba *lib. III. cap. 16. n. 15: tanquam ſapientia cum ſaporis mercibus fuerit inuecta.* Vbi cum merces dicantur *ſaporae*, (vt recte ad hunc locum monuit Cl. Walchius,) non mediocrem errauit errorem Guil. Canterus, *lib. III. Nou. lect. cap. 30.* ratus, eo loco memorari merces *Saporis* regis. Libet hac occaſione alium errorem proſcribere, quem video doctiſſimis quoque viris communem eſſe. Scilicet Horatius *lib. I. ſat. 7. v. 3.* ſcribit, *lippis notum & tonſoribus eſſe.* Vbi non ſolum Ioannes Bondius in ſcholiis dicit *lippos* innui, *qui loquaces ad ſe alliciant;* ſed & magnus ille Eraſmus in *Chiliadibus* ſuis putat, *lippos* ſignificari, *qui in tonſorum officinis deſideant expetentes remedium oculorum.* Nuper etiam in Cl. Loeſcheri doctiſſimo *de cauſis linguae Hebraeae* opere *lib. I. p. 26.* haec offendebam, *vel lippi & tonſores hoc norunt.* Nempe perperam boni viri interpretantur

tur Horatium, quippe qui non *lippos* dicit viros, ſed *lippas* vetulas, quarum loquacitas iam olim proverbio locum fecit. Senum ſcilicet proprium eſt illud oculorum vitium, maxime mulierum. Sed quid longiori oratione opus in re tam tenui?

3. *de mare*] Pro *de mari*. Nec vero novitatis accuſari noſter poëta debet. Solus Ouidius tria ſuppeditabit loca, e quibus apparet, poëtis & in ſexto caſu licuiſſe dicere *mare*. Is igitur *Triſt. V. 2. 20: Exiguum pleno de mare demat aquae.* Iterum *ex Ponto IV. 6. 46: Et prius Iſter In caput Euxino de mare vertet iter.* Rurſus *in Ibin v. 220: Et ſummam Libyco de mare carpat aquam.* Haec mihi ſunt obſeruata exempla. Plura addit e Lucretio, Plauto & Catullo Iuſtus Zinzerlingius in *Promulſide Criticorum iuvenilium cap. 16. p. 221. editionis Schminckianae.*

LXXXIV.

MALLEVS.

Non ego de toto mihi vindico corpore vires,
Sed capitis pugna nulli certare recuſo.
Grande mihi caput eſt, totum quoque corpus in illo.

VAR.

VAR. LECT.

1. A. mihi vindico corpore. 2. Per. At capitis. D. pugnum. 3. A. & D. & E. Grande tamen. C. in ipſo eſt. B. quoque pondus in ipſo eſt. P. pondus in illo. Per. pondus in ipſo.

ANNOTATIONES.

1. *vindico corpore*] Editum erat *corpore vindico.* Ego ſecutus ſum codicem vetuſtisſimum, cui ſuffragantur aures eruditae.

2. *nulli certare*] Pro *certare cum nullo.* Graeciſmus haud ignotus, quem plurimis illuſtrat exemplis Daniel Vechnerus in *Hellenolexia* ſua *lib. 1. cap. 25. p. 210. & 211.*

LXXXV.

PISTILLVS.

Contero cuncta ſimul virtutis robore magno.
Vna mihi ceruix, capitum ſed forma duorum.
Pro pedibus caput eſt: nam caetera corporis abſunt.

VAR. LECT.

C. Piſtillum. 2. A. mihi eſt. Per. forma aliorum. 3. B. nam caetera corporis abſunt.

ANNOTATIONES.

3. *nam caetera corporis abſunt*] Gratulatus

tus ſum felicitati meae, cum hanc ſcripturam reperiebam in vno codicum Anglicanorum. Nam iamdudum ſic reſcripſeram pro vulgato: *nam caetera corpora non ſunt.* Quanquam perfacile erat hancce ſuſcipere correctionem, ſi modo animus aduertatur ad rem ipſam, quae hic deſcribitur. *Caetera corporis*, id eſt, caeterae partes corporis. Sic *caetera Africae*, id eſt, caeterae partes Africae apud Tacitum *Annal. IV. 5. 3.* Idem *lib. XIII. 6. 2. caetera belli* dixit, pro quo *reliqua belli*, (id eſt, quod ex bello reliquum eſt,) legimus in Curtio *VII. 5. 27.* rurſusque in Tacito *Annal. XIV. 38. 1.* & *Hiſt. IV. 2. 3.* Huius generis & illud Curtii eſt *VII. 11. 25: pleraque belli.*

1. *virtutis robore magno*] Quintilianus *de cauſis corr. eloq. cap. XXVI. 8: Virium robore multum caeteros ſuperat.* Curtius *IX. 7. 16: Pugil ob eximiam virtutem virium regi pernotus & carus.*

LXXXVI.
STRIGILIS.

Rubida, curua, capax, alienis humida guttis,
Luminibus falſis auri mentita colorem,
Dedita ſudori, modico ſuccumbo labori.

VAR.

VAR. LECT.

1. A. *gloſſa addidit:* lege rubea. B. & C. rubea. P. & Per. rupea. 2. E. Numinibus. B. aureo ſimulata metallo. C. auri ſimilata metallo. Per. auri ſimulata metallo.

ANNOTATIONES.

STRIGILIS.] *Strigilem* ſic *Florid. lib. I.* deſcripſit Apuleius: *Fabricauit ſibi ſtrigileculam recta faſtigiatione clauſulae, flexa tubulatione ligulae, vt & ipſa in manu capulo motaretur, & ſudor ex ea riuulo laberetur.* Melius tamen cognoſci facies veteris ſtrigilis poteſt ex pictura ipſius, quam (α) hic adiecimus partim ex Pignorii libro *de ſeruis p. 84.* vnde accepimus figuram ſuperiorem; partim ex Eſchenbachii libro *de variis vnctionum generibus*, inſerto Parti ſecundae *Faſciculi diſſertationum philogicarum*, Roterodami A. 1710. editi p. 492. vnde depromſimus inferiores duas figuras. Plures de ſtrigilibus veterum ſcriptores memorat Pitiſcus in *Lexico* ſuo *antiquitatum Romanarum.*

1. *curua*] Vnde Martialis *lib. XIV. epigr. 51. Has* (ſtrigiles) *miſit curuo deſtringere ferro.*

2. *Luminibus falſis*] Pluralis pro ſingulari. *Lumen* hic ſignificat *ſplendorem. Falſum* quid hoc loco ſit, repete ex ſuperioribus *XXIII. 3.*

2. *auri*

(α) *Vid. Tab. II.*

2. *auri mentita colorem*] Virgilius *ecl. IV. 42: varios diſcet mentiri lana colores.* Altera quorundam codicum ſcriptura: *auri ſimilata metallo,* mihi non ſapit, quia monachum aeui barbari ſapit.

LXXXVII.

BALNEVM.

PEr totas aedes innoxius introit ignis:
Eſt calor in medio magnus, cui nemo ferendo.
Non eſt nuda domus, ſed nudus conuenit hoſpes.

VAR. LECT.

B. & D. totas ſedes.

ANNOTATIONES.

BALNEVM] Hoc aenigma accuratiſſime perceperit ſecundum ſingulas partes, qui figuram accurate deſcriptam veteris balnei viderit. Eam nuper e vetuſto quodam monumento exhibuit Cl. Fabricius in annot, ad ſexti Empirici *Hypot. Pyrrhon. lib. I. cap. 14. p. 30.*

2. *cui nemo ferendo*] Sic reſcribo pro vulgato: *quem nemo veretur.* Seneca *epiſt. LXXI. p. 229: Vires ſuas nouit: ſcit, ſe eſſe oneri ferendo.* Sic & Ouidius *Metam. XV. 403:*

Cum

Cum dedit huic aetas vires, onerique ferendo eſt. Eadem dictio apud Liuium occurrit *lib. II 9.* Adi & Cl. Burmannum ad Quintiliani *Declam. VIII. p. 167. ſq.*

LXXXVIII.

TESSERA.

DEdita ſum ſemper voto, non certa futuri:
Iactor in ancipites varia vertigine caſus,
Nunc ego moeſta malis, nunc rebus laeta ſecundis.

VAR. LECT.

1. A. & D. fato. Per. voto ſemper. 3. B. & Per. Nunc — nunc.

ANNOTATIONES.

TESSERA] De ludo *teſſerae* agit Ouidius *Triſt. II. 475. ſqq.*

1. *non certa futuri*] Vulgatum ſic erat: *voto non certa futuro.* Sed facile haec menda tolletur. Scilicet teſſeram poëta dicit *ſemper voto eſſe deditam.* Cum enim iactus aleae ſit incertiſſimus, omnis ludentium cogitatio in votis verſatur. Itaque teſſera ſummo iure vocatur *non certa futuri,* id eſt, neſciens, quam feliciter iactus ſit caſurus. Eodem modo apud Quintilianum

num *de cauſ. corr. eloq. XIII. 7. incertus futuri* dicitur, qui neſcit, quid futurum ſit. Et apud Senecam in *Conſol. ad Marciam cap.19. ſollicitus futuri* dicitur, qui de futuro curam gerit. Similis dictio Taciti Annal. *IV. 59. 3. & Hiſt. III. 38. 6: anxius ſui*, id eſt, de ſua ipſius incolumitate ſollicitus.

3. *Nunc*] Editum erat: *Non ego m. m. non*, caetera. Sed recte repoſui ex codice MS. *Nunc, nunc*, ipſa re mihi ſuffragante. Quis enim ignorat, modo gaudio efferri luſores, modo de aduerſa queri fortuna?

LXXXIX.

PECVNIA.

Terra fui primo latebris abſcondita terrae:
Nunc aliud pretium flammae nomenque dederunt.
Nec iam terra vocor, licet ex me terra paretur.

VAR. LECT.

1. A. & D. & E. abſcondita terrae. B. & C. & Per. abſcondita diris. B. & Per. primum. 2. Per. aliud regnum. A. & Per. dederunt.

ANNOTATIONES.

1. *abſcondita terrae*] Sic emendaui du-

cibus tribus libris manu exaratis. Editum erat: *abſcondita duris.*

2. *nomen*] Eſt Nominatiuus caſus. Scilicet ignis, quo metalla excoquuntur, & *nomen Caeſaris* aeri aſſignat pretium certum. Nummis enim inſcribitur nomen principis. Vnde illa quaeſtio Chriſti *Matth. XXII. 20:* Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή;

2. *dederunt*] Sic reſcripſi ex antiquiſſimo codice pro *dedere*, quod editum erat. Sed hoc leue eſt.

3. *terra paretur*] Id eſt, agri emantur nummis. Sic Senecae *epiſt. 5. res non magno parabiles* vocantur, quae emi poſſunt leui pretio.

XC.

MVLIER GEMINOS PARIENS.

Plus ego ſuſtinui, quam corpus debuit vnum.
Tres animas habui, quas omnes intus habebam.
Diſceſſere duae, ſed tertia paene ſecuta eſt.

VAR. LECT.

3. Per. ſed tertia bella peregit.

ANNOT.

ANNOT.

3. *Diſceſſere duae*] Id eſt, enixa ſum duos liberos, ſed prope factum eſt, vt meam (matris) animam efflarem.

XCI.

MILES PODAGRICVS.

Bellipotens olim ſaeuis metuendus in armis
Quinque pedes habui: quod quanquam nemo negauit,
Nunc mihi vix duo ſunt: inopem me copia fecit.

VAR. LECT.

A. De milite. B. & C. & Per. Miles. D. Miles podagricus. P. Eques podagricus. 2. A. & B. &. C. Sex pedes. P. & Per. Sexque pedes. A. quos nunquam. B. quos nemo negauit. C. quos vnquam. Per. quos nunquam nemo negaret. 3. B. & Per. copia reddit.

ANNOTATIONES.

1. *Bellipotens*] Sic Mars vocatur *bellipotens* a Virgilio *AEn. XI. 8.*

2. *quinque pedes habui*] Hic locus quam multis fuerit obſcurus, vel inde apparet, quod in pluribus codicibus τὸ *quinque* in *ſex* fuit corruptum. Scilicet putabant, *equitem* innui, qui connumeratis equi ſui pedibus ſex pedes habet. Etiam in Maſe-

nii *Speculo imag. verit. occultae cap. 64.* §. 4. hoc exſtat de claudo, quondam equite, aenigma: *Saepe pedes ſenos numeraui, vix modo binos.* Sed Lactantius quidem noſter nihil innuit aliud, quam, vt inſcriptio habet, militem podagricum. Scilicet apud Romanos iuſta militum ſtatura erat *quinque pedum*, & pro miraculo erat, cum Nero Imp. ex Italicis *ſenûm pedum* tyronibus legionem conſcriberet, eamque *magni Alexandri phalangem* appellaret: cuius rei teſtem habeo Suetonium in *Vita eius cap. 19.* Idem cum Auguſto Imp. breuem fuiſſe ſtaturam dixiſſet *cap. 79. Vitae eius* adiicit, *Iulium Marathum, libertum & a memoria eius,* (ita enim lego cum Lipſio *lib. I. Elect. cap. 12, p. 533.*) quaſi honori Auguſti ea re conſuleretur, *tradidiſſe, eum fuiſſe quinque pedum & dodrantis.* Sed vt reuertar ad Romanorum milites, diſerte refert Vegetius *de re milit. lib. I. cap. 5. non potuiſſe milites eligi, qui non haberent ſtaturam quinque pedum & ſeptem vnciarum.* Nec hic memoratu indignum eſt, quod Franciſcus Vauaſſor, elegantiſſimae vir doctrinae, *lib. de forma Chriſti cap. 3. §. 5. p. 335.* ſtatuit, Chriſtum habuiſſe *ſtaturam iuſtam a pede circiter quinto ad ſextum fere.* Iam igitur ſcimus, quid ſibi velit miles ille Lactantianus iſtis verbis: *quinque pedes habui.*

2. *quod*

2. *quod quanquam*] Editum erat: *quod nunquam*. Feci inde: *quod quanquam nemo negauit, nunc* tamen *mihi vix duo ſunt* pedes. Fortaſſe tamen acutior quiſpiam inficetum illud *nunquam* melius correxerit.

3. *inopem me copia fecit*] Non videtur cuiuis lectori obuium eſſe huius dicti acumen. Scilicet innuit, niſi fallor, poëta noſter, militem nimia luxuriâ ſibi contraxiſſe podagram. Hanc luxuriam vocat *copiam*, id eſt, iniuſtam vini abundantiam. Ac vulgare eſt, Bacchum vocari *patrem podagrae*.

XCII.

LVSCVS ALLIVM VENDENS.

Cernere iam fas eſt, quod vix tibi credere fas eſt.
Vnus ineſt oculus, capitum ſed millia multa.
Qui, quod habet, vendit, quod non habet, vnde parabit?

VAR. LECT.

B. & Per. Luſcus alios vendens. C. Luctum alium tenens. P. Luſcus alium vendens. 1. Per. Cerne, licet, propius, quod. 2. A. Vnus enim eſt. Per. capitis. 3. A. Quae quod habet. D. & Per. Qui, quod habet. B. Quotquot habet. C. Quid quod habet.

ANNOTATIONES.

LVSCVS ALLIVM VENDENS.] Editum erat LVSCVS. Sed imperfectum eſſe hunc titulum, quis non videt? Noſtrae ſcripturae veſtigia nimis manifeſta ſunt in vetuſtis exemplaribus, & iam Caſtalio recte docuit, eum titulum, quem praepoſui, verum eſſe ſincerumque.

3. *Qui, quod*] Vulgatum erat: *Quicquid habet.* Sed mea ſcriptura nemini, credo, improbabitur, qui & veteres codices, & rem ipſam, quam poëta noſter deſcribit, intuitus fuerit.

XCIII.

FVNAMBVLVS.

INter luciferum coelum terrasque iacentes
Aëra per medium doctâ meat arte viator:
Semita ſed breuis eſt, pedibus nec ſufficit ipſis.

VAR. LECT.

1. A. luciſluum. B. & C. & D. & Per. lucificum. *Gloſſa tamen in B. adſcripſit* luciferum. 2. A. & D. & E. & Per. doctâ. C. docte.

ANNOTATIONES.

1. *luciferum*] Recta omnino haec ſcriptura. Ouidius in *Epiſtola Canaces v. 46:* *Dena-*

Denaque luciferos luna mouebat equos. Idem in *Epiſtola Acontii v. 192.* ſcribit, Lucinam Deam parientibus *luciferas afferre manus.*

1. *terrasque iacentes*] Id eſt, inferius iacentes. *Iacere* enim etiam de ſitu ponitur, ne Germaniſmum putes. Adi Vorſtium *de Latinitate falſo ſuſpecta cap. 13. p. 146.* Ouidius *Triſt. IV. 4.62: Illi paene ſub eiusdem ſideris axe iacent.* Idem *eleg. 7. v. 21:*

Innumeri montes inter me teque viaeque,
Fluminaque & campi, nec freta pauca, iacent.

Sulpicius ad Ciceronem *lib. IV. ad Famil. epiſt. 5: quae oppida nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent.* Quanquam hoc quidem loco τὸ *iacent* non ſimplicem ſitum, ſed excidium vrbium ſignat. Florus *lib. III. cap. 5.* initio: *Ponticae gentes ad ſeptentrionem in mare ſiniſtrum iacent.* Curtius *V. 1. 12: Inter Tigrim & Euphratem iacentia tam vberi & pingui ſolo ſunt,* caetera. Cornelius Nepos *XIII. 2. 1: omnes gentes, quae mare illud adiacent.* Idem *XIV. 4. 1: quae gens iacet ſupra Ciliciam.* Liuius *lib. IX. cap. 37: ſub montis radicibus iacens ora.* Rurſus Nepos XVII. 8. 6: *portus iacens inter Cyrenas & AEgyptum.*

2. *docta*] Editum erat *doctus.* Sed rectius codices, quos proinde ſequor duces. Barthius *Adverſ. lib. V. cap. 19. p. 247.* ita hunc verſum profert: *docta volat arte viator.*

tor. Quod erratum memoriae eſt, neque adeo referendum inter lectiones variantes. Vbique enim ſcriptum reperitur: *meat arte.* Sic ſupra quoque de ſagitta *LXIV.* 2. dixerat noſter: *Aëra per medium volucri contendo meatu.*

3. *pedibus nec ſufficit ipſis*] Id eſt, pedes hac ſemitâ latiores ſunt, der Weg iſt nicht einmahl ſo breit, als die Füſſe ſind.

XCIV.

NVnc mihi iam credas, fieri quod poſſe negatur.
Octo tenes manibus, ſed me monſtrante magiſtro
Sublatis ſeptem reliqui tibi ſex remanebunt.

VAR. LECT.

Hoc aenigma deeſt in Per. 1. A. & E. credes. Cam. credis. 2. Cam. tenes.

ANNOTATIONES.

TITVLVM huius aenigmatis vulgatum omiſi. Non enim ſoluit aenigma, ſed repetit. En illum: DE VIII. VT TOLLAS SEPTEM, ET SEX REMANEANT. Exſtat idem aenigma ſine titulo ex editione Camerarii in Reuſneriana *AEnigmatographia* p. 253. ſed alii aenigmati annexum

nexum, quod plane diuerſum eſt. Ibidem *p.* 347. iterum exſtat, ſed itidem titulo carens ſiue ἀκέφαλον. Lorichius in ſuo *libro III. aenigm. f.* 84. huic aenigmati hoc lemma ſuperſcripſit: *Aliud* (aenigma) *Arithmetico coniiciendum.*

1. *fieri quod poſſe negatur*] Ouidius *Triſt.* I. 7. 7: *Omnia iam fient, fieri quae poſſe negabam.*

2. *tenes*] Editum erat *tenens.* Sed quis non aſſentiatur mihi, *tenes*, quod & Camerarius exhibuit, veram eſſe ſcripturam, & ab ipſo aenigmatis auctore profectam?

2. *Octo tenes manibus*] Quid hoc ſibi vult? Ita mecum quaerebam, & anxie diſquirebam, cum in animum induxeram, totum hoc Sympoſium emendare & annotationibus ita illuſtrare, nihil vt obſcuritatis vsquam relinqueretur lectoribus. Etſi enim pulchre intelligebam, non eſſe prudentis, multum operae ſtudiique ponere in ſoluendis aenigmatibus, cum vel mulierculae valeant leuiſſimam quamque & vbiuis obuiam rem tam ingenioſe quaſi velo quodam obumbrare, vt ne perſpicaciſſimis quidem viris facile ſit eam peruidere; tamen hic excuſanda videbatur mea inueſtigatio, quippe in id vnum collata, vt totum libellum, quantus quantus eſt, redderem perſpicuum, ne vno illo in lo-

co me defeciſſe videretur debita induſtria. Nec vero admodum longum tempus ea mihi cura abſumſit, ſed, cum ſtatim intelligerem ex illis verbis: *Octo tenes manibus, digitos* innui, ac manum meam attentius intuerer, in eandem incidi opinionem, quam infra videbis prolatam eſſe a doctiſſimo Geſnero. Non multum diuerſa eſt ſolutio, quam paulo poſt mecum communicabat Ioan. Ludouicus Iunckerus, ICtus Iſenacenſis eruditiſſimus. Is enim per *octo* idem intelligi ratus, quod Geſnerus, iubet ſeptem tolli numeros Romanos, *VII*, qui quatuor repraeſentantur digitis: quo facto ſex remanere digitos neceſſe eſt. Sed vtriuſque huius viri ſolutionem nondum acceperam, cum ſtatim poſt meum εὕρηκα eruditis in extrema pagina Programmatis mei *de ſomnio poëtico, non prophetico, Petri Lotichii*, vertente anno huius ſaeculi decimo nono publicati, ſoluendum propoſui iſtud *myſterium poëticum ſiue problema dipnoſophicum* hiſce verbis: *Cum inter aenigmata illa vnum ſit, (quartum & nonageſimum,) quod nondum quisquam, quod ſciam, interpretatus eſt, id interpretandum hic loci offero eruditis omnibus.* Dignatus hinc eſt Cl. Krauſius idem aenigma in *Nouis* ſuis *literariis A. 1720. p. 9.* proponere, eruditosque, vt in eo interpretando exerceant ingenium,

nium, cohortari. Quo facto non ſolum per literas cogitata ſua mecum communicarunt laudati modo viri, Iunckerus ac Geſnerus; quos breui tempore poſt ſecutus eſt Max Reu. Haſaeus, cuius ἀνάλυσις infra ſuo loco exhibetur; verum etiam fuerunt, qui publice, idque in Nouis literariis Krauſianis, quid de vero aenigmatis ſenſu ſentirent, exponerent. Primus fuit Anonymus, qui prouocanti Krauſio ſcriptis Francofurti ad Oderam literis ſic (a) reſpondit:

Quod aenigma in Nouis literariis p. 9. ingenii exercendi cauſa praepoſitum attinet, indignum hoc erat erudita operâ, cum nihil ſit, niſi luſus ingenii inanibus dediti & ab omni ſeuero opere vacantis: vt ſympoſiacae quaeſtiunculae ſolent. Coierant quippe octo forte iuuenes ad amicum, quod ex acroſtichide NOS patet: quorum vnus hoſpiti hoc aenigma propoſuit: *Si ex octo tolleret ſeptem ſuperfuturos ſex.* Quod cum hoſpiti incredibile videretur, hos tres verſus tribus chartulis ſeparatis inſcripſiſſe videtur, iubens praeterea hoſpitem primam chartam tollere, ac tenere, in qua inſcriptæ *octo* voces primi

(a) *Nou. liter. Lipſ. A. 1720. p. 76.*

primi verſiculi. Tum deduxit eum ad ſecundam chartulam, ac recitauit ei ſecundum verſum, in hanc ferme ſententiam: *Octo tenes manibus, ſed ipſe hoc neſcis, niſi me indice.* Tum iuſſit & hunc verſum auferre, in quo *ſeptem* voces. Poſtremo verba vltimi verſiculi recitans, in quo *ſex* voces, hoc dicit: *Poſtquam octo tenes manibus, & ſeptem modo ſuſtuliſti, reliqui ſunt ſex.* Ita vt omnis argutia in verbo *ſublatis* vertatur, quod & ſubtractionis ſpeciem ſignificare poteſt, & ſimplicem ablationem.

Hactenus Anonymus ille Francofurtanus. Succeſſit ei perbreui temporis ſpatio Ioan. Conr. Schwarzius, Gymnaſii Coburgenſis Profeſſor, qui iam pluribus optimae notae libris nomen ſuum nobilitauit, cuius haec ſunt verba in iisdem *Nouis lit. p. 89:*

Mihi ſimpliciſſima ſoluendi ratio videtur, ſi rem ipſam ita intelligas, vt pueri cuiusdam digitos octo erectos manibus tuis circumplectare. Sic enim veriſſimum erit, te manibus tuis octo tenere. Iam ſi ſeptem de tuis digitis ita contraxeris, vt eodem tempore totidem digitos pueri ſcienter

abſcon-

abſcondas, remanebunt digiti ſex. Id quod fieri vult Sympoſius.

Haec erat Schwarziana enodatio. Tertius doctisſimis hiſce viris ſe interſeruit diſcipulus quidam meus, Bremerus nomine, cuius explicatio, etſi initio mihi non ſatis placebat, quia nimirum aliam ipſemet excogitaram, poſtea tamen explicationis illius ſumma ſimplicitate adductus ſum, eam vt pro vera haberem. Certum enim eſt, quo ſimplicior eſt aenigmatum ſolutio, eo rectiorem eam eſſe: cum ſub illorum inuolucro non ſoleant latitare res valde ingenioſae, ſed vulgares & nemini non obuiae atque expoſitae. Sine mora igitur haſce ad Cl. Krauſium perſcripſi literas, *Nouis literariis p.* 114. inſertas:

AEnigma ſympoſiacum, quod rogatu meo in *Nouis* currentis adhuc anni *literariis p.* 9. eruditis propoſuiſti enucleandum, plura excitauit melioris notae ingenia, vt aciem mentis intenderent ad peruidendum, quid iſtis in tenebris lateat reconditum. Amicorum meorum duo ſuas coniecturas per literas mecum communicarunt, ingenioſas ſane illas, ſed mihi tamen (ingenue fateor,) haud probatas. Duas alias interpretationes ipſe nuper publicaſti in *Nouis* tuis *literariis*

terariis p. 76. & 89. alteram Cl. Schwarzii, alteram Anonymi Francofurtani. Vtrumque video tam ingenioſam protuliſſe nodi iſtius ſympoſiaci ſolutionem, neuter vt ſibi videatur operam perdidiſſe atque oleum. Maxime Francofurtanus ille rem acu ſua tam accurate ſe tetigiſſe perſuaſum habet, vt indignaturus videatur iis, qui Terentianum illud: *Tota erras via*, ipſi acclamauerint. Ego vero nequaquam vereor explicationem eius repudiare, cum & acroſtichidem ſine iuſta cauſa fingat, & hiſtoriam narret eius generis, vt accredere eam non poſſim, niſi ei, qui ipſemet interfuit octo illorum iuuenum, quos memorat, cum hoſpite ſuo ſermoni. Fateor tamen, caſum illum, quo primus verſus octo continet voces, alter ſeptem, tertius ſex, percommodam Anonymo occaſionem praebuiſſe lepidam effingendi hiſtoriam: quanquam ad eam tuendam plus quam poëtica vtitur licentia detorquendi verba in ſenſum alienum. Quis enim aſſentiatur, verbis hiſce: *Octo tenes manibus, ſed me monſtrante magiſtro*, hunc ſubeſſe ſenſum: *Octo tenes manibus, ſed hos neſcis, niſi me indice?* Hanc certe

te ſententiam verſus ille nec habuit vnquam, nec habebit. Sed nec altera interpretatio, Cl. Schwarzium nacta auctorem, propius abeſt a vero poëtae ſenſu, ut ego quidem arbitror. Ipſe quoque hariolari ſum auſus, quid ſibi poëta voluerit illo aenigmate. Vereor autem, vt maiori mea coniectura beetur plauſu. Itaque proferre eam in publicum non ſuſtineo, ne fatum, quo digna eſt, ſubeat meis ingratiis. Caeterum ne plures eruditi vires ingenii, aliis meditationibus fructoſius impendendas, hic nequicquam fatigent, exhibeo interpretationem huius aenigmatis liquidiſſimam, quam unus meorum diſcipulorum excogitauit. Enimuero Dauum hunc quatuor illis, quos dixi, Oedipis felicius conieciſſe, ac ſoluto ſcitiſſime nodo verum poëtae ſenſum perueſtigaſſe, plane mihi perſuaſi. *Octo* (ſic ad me inquiebat,) *tenes e. g. globulos manu*, (*manibus* enim iure poëtico poſitum eſt pro *manu*,) *vel etiam ſi placet, manibus, id eſt, ſingulis manibus octo. En tollo ſeptem vel ſeptenos ex octo illis globulis. Nonne remanent ſex, vnus nempe globulus & connumerandi ei quinque digiti manus globulum tenentis?* Vide iam,

iam, vir clariſſime, annon coniector hic meus dignus ſit, qui non vno, ſed octo monſtretur digitis, & ad quem accommodetur vetus illud: *Saepe ſub palliolo ſordido latet ſapientia.*

Haec ego, quae antequam inſererentur *Nouis literariis*, Gabriel Dumontius, Reformatae Eccleſiæ Lipſienſis Concionator, vir eruditisſimus, in iisdem *p. 99.* aliam propoſuit aenigmatis illius eamque peringenioſam analyſin. Audiamus eam:

AEnigma Sympoſii non mihi, vt Anonymo Francoſurtano, indignum eruditâ opera videtur. Ingenioſa ſunt, quae & Anonymus ille & doctisſimus Schwarzius ad eius ſolutionem in medium adducunt. Non tamen ea aeque certa eſſe, ac acuta ſunt, dicere auſim. Commodisſime omnium aenigma explicari poſſe exiſtimo ex more veterum per digitos numerandi, quem ad diuerſorum ſcriptorum loca enucleanda valde profuturum ſperabat Lilius Gyraldus, Dialogiſmo ſecundo, vbi eam per digitos ſupputandi rationem breuiter ac dilucide expoſuit. Ex illo Dialogiſmo, vt & ex Bedae libello de loquela per digitos, & Nicolai Smyrnaci περὶ δακτυλικȣ̃ μέτρȣ, in Poſſini Spici-

Spicilegio Euangelico, a Doct. celeb. Io. Alb. Fabricio ante aliquot annos Hamburgi denuo vtiliter publicato, colligimus, veteres denotaſſe *ſex* digitis manus ſiniſtrae expanſis, ſolo admedio ſeu annulari palmae affixo; *ſeptem*, ſolo minimo ſeu auriculari ad eundem modo depreſſo; tandem *octo* iisdem, annulari ſcilicet & auriculari, eadem ratione inflexis. His poſitis nihil facilius eſt, quam aenigma aperire. Etenim ſi manu ſiniſtra tua, digitis annulari & auriculari inclinatis, caeteris porrectis manentibus, *octo* deſignaueris, &, vt ita dicam, manibus tenueris, *ſeptem* vero abſtuleris, auriculari ſcilicet erecto; remanebunt *ſex*, hoc eſt, annularis digitus ſolus flexus manebit, qui *ſex* indicat.

Hactenus Cl. Dumontius, cuius ſententia an multos inuenerit ſubſcriptores, ego quidem neſcio. Imo alius vir doctus non ita multo poſt, Theophilus Sigefridus Bayerus, in iisdem *Nouellis literariis p. 156.* nouam exhibuit explicationem, his vſus verbis:

Habet Sympoſius eum ipſum verſum, quem obſcuriſſimum pauci explicent, ex media Pythagoraeorum numerorum commentatione. Quem

aliquando ita explicabam, ſignificari eo numerum XIII. Nam ſi X diuidas, duplex V, atque adeo veluti VIII bis efficiuntur. Si VII auferas, VI reliqua manebunt. Verum iſta fortaſſis explicatio aenigmatis paucis probabitur.

Haec Cl. Bayerus, cuius quidem modeſtia non paucis, opinor, probabitur, quod ſe non praebet acrem explicationis ſuae defenſorem. Alia incedere via placuit docto Anonymo Francofurtano, qui ibidem *p. 170.* rurſus in ſcenam prodiit, aegre ferens, ipſius ſolutioni praelatam a me fuiſſe diſcipuli mei *ἀγχίνοιαν*, vel etiam inuidens ei praereptae palmae gloriolam. Is igitur in haec verba erupit:

Nihil eſt, quod me coniecturae illius, quae interea, dum *Noua literaria* legerem, ſubito occurrebat, adhuc poenitere poſſit: &, quia rem leuem arbitrabar eſſe, quaeque eruditam operam ſperare non deberet, hinc propoſui iocularis aenigmatis ſolutionem, quam etiam vernaculus quiuis reperire potuiſſet, modo ſenſum verborum cognitum habuiſſet. Vidi tamen ex illo tempore, diuerſas aliorum ſolutiones inſtitui, haud paulo ingenioſiores, quam ſunt prolati

in

in medium globuli iuueniles, qui neſcio an cuiquam ſatisfaciant: cum vel digiti ex reſiduo eiiciendi, vel ſummae, cui detrahitur, annumerandi veniant. Ne putet autem vir clariſſimus, ſi quis laureolam in muſtaceo quaerere vellet, non potuiſſe alias plures ſolutiones perfacile cudi. Poſſum vel ipſe nunc aliam ſuppeditare. Dico autem, hoc carmen eſſe luſum in numerum ſenarium. Octo nempe ſenarios tenes manibus, hoc eſt, 48. Sublatis ſeptem ſenariis (42) reliqui tibi ſex ſimplices remanebunt, hoc eſt, vnus ſenarius. Quod ſi alius iam ſurgat, ita potius interpretandum ratus: Octo, nempe quaternarios, tenes manibus: Sublatis ſeptem binariis, reliqui tibi ſex ternarii remanebunt; nihil habeo, quod opponam.

Ego vero non nihil, quod opponam, habeo. Attamen ea lege concedam, ipſum veram aenigmatographi ſententiam in apricum produxiſſe, vt poſthac benignius ſe gerat erga me, &, quicquid aeruginis in pectore ſupereſt, eiiciat. Collaudet etiam mecum candorem Cl. Schwarzii, qui in iisdem *Nouis p. 171.* ſuperiore ſua ſententia ingenue retractata, aliam commendauit,

quam a I. M. S. P. C. profectam credit eſſe veroſimillimam & palma digniſſimam. En illam, Lector, tuoque vtere iudicio.

Octo tenes manibus) Veteribus moris erat numeros ſignificare digitis. Et quidem ſignum numeri octonarii erat hoc: Erigebant pollicem & duos proximos digitos, reliquos inflectebant, vt Io. Nouiomagus libro I. de numeris cap. 14. ex Beda Anglo-Saxone notat, & ex Poſſini tabula, Spicilegio eius ſubiuncta, conſtat. Itaque hoc loco *octo tenes manibus* idem eſt ac *digitis veterum more octo numeras & quaſi tenes.* Nam ſi digiti manus non ita tenerentur, numerus octonarius nullus eſſet.

Sublatis ſeptem) Character numeri ſeptenarii erat hic: Minimum digitum ſolum certa ratione curuabant, caeteros erigebant, annulari modo paulum inflexo. Cum igitur dicit auctor aenigmatis *ſublatis ſeptem*, intelligitur *digitus ille, qui flexu ſuo indicat numerum ſeptenarium, erigi.*

Reliqui tibi ſex remanebunt) hoc eſt, *inſigne numeri ſenarii.* Forma numeri ſenarii olim erat haec, quae iam manu exprimitur, cum flexus numeri ſeptenarii index digitus erigitur.

Sed

Sed me monſtrante magiſtro] Id eſt, verum ſi ego tibi oſtendero, quemadmodum digitus annularis, qui in ſignificando numero ſeptenario paulum, vt pinnula in horologio, incuruatur, tractandus ſit, dum inflexus digitus numeri ſeptenarii index tollitur & erigitur.

Sententia ergo aenigmatis haec eſt: *Octonarium numerum manibus ſi indices, &, me doctore, minimum digitum ſic erigas, vt annularis ſit inſtar pinnulae in horologio inclinatae, remanebit numerus ſenarius.*

Haec igitur eſt doctiſſimi M. I. S. explicatio, plane cum Dumontiana concordans, quam & ſibi prae caeteris probari, fatetur ibidem *p. 172.* Cl. Krauſius, cuius & reliquam ἐπίκρισιν merito annecto.

Quod, *inquit*, de ſenſu aenigmatis huius alii aliter, neque ſine veri ſpecie, pronuntiauerint, videtur id eſſe aenigmatis vitium, quod varias admittit interpretationes. Sane contra leges aenigmatum: cum hoc modo nunquam de mente auctoris certi fieri queamus. Plures nullo negotio dari poſſe ſolutiones, quis dubitet? Quid pronum magis eſt cogitare, quam *manibus teneri DIGITOS?* Hi vero

ro tibi exhibent alicubi notam numeri octonarii. Nempe pollex indici iunctus quinarium quodammodo effingit, reliqui tres digiti vnitates. Neque vllius maioris numeri notam ſiſtunt digiti. Igitur *octo* (non amplius) tenet manibus. De hac nota numeri octonarii, quam in digitis tuis, vtramque manum inſpiciens, inueniſti, ſi ſuſtuleris ſeptem, id eſt, notam quinarii cum duabus vnitatibus, reliqui tibi ſex remanebunt digiti. Niſi obſtaret aetas horum ſirporum, poſſes etiam ſolutionem inuenire in voce *Sextilibus*, ſi nempe hoc modo ſcribatur: *6tilibus*. Habes enim octo notas, vbi ſublatis ſeptem poſterioribus ſupereſt nota numeri ſenarii. Sed videamus, num de octo anni menſibus intelligi poſſit aenigma. Eorum nomina manibus tene, ſchedulae inſcripta in hunc modum:

Ian. Feb. Mart. Apr. Mai. Iun. Quin. Sex.

Aufer ſeptem priores, & reliquum habebis octauum menſem ſeu vocem SEX.

Miram vero vbertatem humani ingenii! Quid igitur tandem certi habemus in his tenebris? An forte, quemadmodum olim Appion grammaticus dicitur Homerum reuo-

reuocaſſe ab inferis, vt eius patriam ex ipſo cognoſceret; ſic nos geſtiemus Lactantium ex coelitum concilio in has terras reuocare, ſuum vt ipſe aenigma exponat? Ego quidem facile patior innoxiam hanc ignorantiam: facile itidem patior, ſuam cuique maxime placere reginam, & totam hanc diſputationem Virgiliani Palaemonis (a) verbis concludo:

Non noſtrum, inter vos tantas componere lites.
Et vitulâ TV dignus, & HIC.

XCV.

VMBRA.

INſidias nullas vereor de fraude latenti.
Nam Deus attribuit talis mihi munera formae,
Quod me nemo mouet, niſi qui prius ipſe mouetur.

VAR. LECT.

E. Echo. C. Echo de vmbra. 1. A. & B. & C. & D. & Per. latenti. E. lacerti. P. latentis. 2. A. & B. & C. & D. & E. & P. & Per. nobis haec munera. 3. Cauſ. Quo. Per. Vt nemo moueat. B. Quae nemo mouet, ipſa prius niſi quo moueatur.

ANNOTATIONES.

VMBRA.] Adſcribo merito Ioannis Lau-

(a) *Ecl. III. 108.*

Lauterbachii *de vmbra* aenigma, quod in Reuſnerianae *AEnigmatographiae* altera Parte *p. 28.* exhibetur:

Sum breuis in medio, capite ac in calce diei
Longior, vt ſurgit ſole caditue iubar.
Vrgentes fugio, fugientes inſequor, iſtas
Me videt alternis quisque ſubire vices.
Defeſſos recreo, gratas dum largior auras,
Dumque fatigatis praebeo frigus humo.
Nil fraudes vereor, mala nil diſcrimina, meque
Sede, prior moueat ſe niſi, nemo mouet.

Addo aliud Iacobi Micylli, quod reperio in Caſp. Dornauii *Amphitheatro Sapientiae Socraticae T. I. p. 699:*

Dic, quae progenies per terras naſcitur omnes,
Et per caerulei regna vadoſa maris:
Quae cum tot membris, quot habent animalia, creſcat,
Atque eodem vitae tempora fine trahat;
Diſſimili tamen augetur per corpora motu,
Atque noua vires conditione parit.
Caetera nam primos animalia quaeque ſub ortus
In tenero exiguum corpore robur habent.
Sic & cum longa labuntur membra ſenecta,
Et properant tacito fata ſuprema pede.
Contra eum mediae vertuntur tempora vitae,
Corpora praecipue cuncta vigore valent.

At

At vero haec medii langueſcit viribus aeui,
Nec breuibus membris tunc vigor vllus ineſt.
Et rurſum primâ valet atque aetate ſuprema,
Maxima ſiue oritur, maxima ſeu moritur.

Addere volebam elegantem *vmbrae* deſcriptionem e Lucretii libro quarto. Verum ne longior ſim, ipſe lector velim adeat monſtratum fontem, & inde, quantum volet, hauriat.

1. *de fraude latenti*] Editum erat *latentes.* Nec haec ſcriptura per ſe quicquam habet incommodi. Imo *de fraude latere* Africiſmum, ſupra ad *Praef. v. 12.* illuſtratum, ſapit, quo vox *de* modum ſignificat. Attamen cum non ſolum Perionius (haud dubie e codice ſuo) ediderit, *latenti* ſed & quinque mei codices eandem habeant ſcripturam, (nam quod vnus habet *lacerti,* is ſcribae error ſatis manifeſto confirmat *τὸ latenti,*) ac Pithoei codex, in quo eſt *latentis,* neutrius partis ſit habendus; religioni mihi fuit, vulgatam retinere ſcripturam, vniuerſis refragantibus libris vetuſtis. Ac, vt Lactantius ſupra in *Praef. v. 15.* dixit *de carmine ſubito* ſenſu Africano, ſic eodem loquendi more hic dicere potuit *de fraude latenti.* Adiicio Virgilianum illud *ecl. III. 93: latet anguis in herba.* Et alterum ex *AEn. II. 48: Aliquis latet error,* (id eſt, dolus,) *equo ne credite, Teucri.*

2. *talis mihi munera*] Editum erat *huius mihi munera*. Sed cum MSS. codices ad vnum omnes habeant *nobis haec munera*, quae quidem ſcriptura falſa eſt, inde fabricaui *talis mihi munera*, quippe quod vicinius eſt corruptae codicum ſcripturae. Quam facile enim *talis* mutatur in *nobis?*

XCVI.

ECHO.

Virgo modeſta nimis legem bene ſeruo pudoris.
Ore procax non ſum, nec ſum temeraria lingua.
Vltro nolo loqui, ſed do reſponſa loquenti.

VAR. LECT.

1. Per. ſacri legem. 2. D. temeraria linguae.

ANNOTATIONES.

ECHO.] Hoc aenigma in diſtichon redegit Nic. Reuſnerus in Parte ſecunda *AEnigmatographiae p.* 77.

Non vox, alternae ſum vocis imago, loquenti
Nil reticens, didici nec prius ipſa loqui.

1. *nimis legem*] Eieci comma, quod in editione vulgata inter *nimis* & *legem* fuerat interiectum. Tò *nimis* enim cum *bene*, non cum *modeſta*, coniungi debet.

3. *do*

3. *do reſponſa*] Ouidius *Metam. III 357: quae nec reticere loquenti, Nec prior ipſa loqui didicit, reſonabilis Echo.* Ibidem *v. 368: haec in fine loquendi Ingeminat voces auditaque verba reportat.* Virgilius *ecl. X. 8: reſpondent omnia ſyluae.*

XCVII.

SOMNVS.

Sponte mea veniens varias oſtendo figuras.
Fingo metus vanos nullo diſcrimine vero.
Sed me nemo videt, niſi qui ſua lumina claudit.

VAR. LECT.

2. A. & B. & C. & Cam. & Per. vanos. A. & C. vero. B. & Cam. & Per. veri. 3. D. claudet.

ANNOTATIONES.

SOMNVS] Reuſnerus & hoc aenigma in diſtichon coarctatum ſic exhibet in memorata modo Parte ſecunda *p. 83:*

Dum nihil ipſe vides, facio te multa videre.
Lumina qui claudat, me quoque nemo videt.

2. *metus vanos*] Editum erat *metus varios.* Sed malo ſequi codices praeſtantiores. Quid ſit *metus vanus*, ipſe autor docet, addens, ſe talem deſcribere metum, cui *nullum verum periculum* ſubſit.

diſcri-

diſcrimine vero] Editum ineptiſſime erat *veros*. Sequor eos codices, qui *vero* habent. *Nullo diſcrimine vero*, ſubaudi *exiſtente:* qui quidem loquendi modus doctioribus haud eſt incognitus.

XCVIII.

MONVMENTVM.

Nomen habens hominis poſt vltima fata remanſi.
Nomen inane manet, ſed dulcis vita profugit.
Vita tamen ſupereſt multis poſt tempora vitae.

VAR. LECT.

1. A. & B. & P. & Per. fata remanſi. C. fara remanſi. D. fata remanens. E. fata remanſit. Cauſ. poſt vltima ſacra relinquo. Per. hominum. 2. B. vita vbi fugit. 3. B. poſt vitae tempora longa. C. poſt morti tempora vitae.

ANNOTATIONES.

MONVMENTVM.] *Monumentum ſepulcri* plenius vocat Cicero *lib. I. Quaeſt. Tuſc. cap. 14.* & Corn. Nepos in *Dione cap. X. 3.*

1. *vltima fata remanſi*] Editum erat: *vltima ſacra relinquo.* Quod facile corrigi poterat ex ſuperiori *LVIII. 3.* vbi iam occurrit

currit *vltima fata*, id eſt, mors. Sed &, quicquid eſt codicum, habet *fata*, niſi quod in vno haec vox miſere corrupta eſt in *fara*. Nec vllus codicum veterum habet aut *relinquo* aut (quod ferri poſſet,) *relinquor*. Vnde eorum ductu reſcribendum mihi fuit *remanſi*.

2. *inane*] Id eſt, animâ deſtitutum. Sic Ouidius *Metam. II. 613. corpus exanime* vocat *corpus inane animae* Idem *Triſt. III. 11. 25: Quid inanem praeteris vmbram*, id eſt, vmbram ſine corpore? Rurſus in *Epiſtola Sapphus v. 116: portet ad exſtructos corpus inane rogos.* Sic & Virgilius *AEn. III 304. tumulum inanem* appellat ſepulchrum cadauere carens. Graeci κενοτάφιον appellant. Veteres iſtos imitatus Petrus Apollonius Collatinus in Carmine *de bello Dauidis & Goliae v. 209.* de proſtrato Goliathi cadauere eleganter inquit: *etiam metuendus inanis*, id eſt, exanimatus.

3. *multis poſt*] Editum erat *morti poſt:* quod quidem hic locum habere nequit. Facili mutatione e *morte* feci *multis*. Videtur enim poëta noſter in animo habuiſſe Horatianum illud: *Dignum laude virum Muſa vetat mori.* Itaque haec ipſius eſt ſententia: *Multis*, qui ſcilicet nomen ſuum bene factis illuſtrarunt, *vita ſupereſt*, id eſt, ii adhuc viuunt, *poſt tempora vitae*, id eſt, exacto

exacto illo tempore, quod datum ipſis fuit ad viuendum, vno verbo, *poſt mortem.*

XCIX.
ANCORA.

Mucro mihi geminus ferro coniungitur vnco.
Cum vento luctor, cum gurgite pugno profundo.
Scrutor aquas medias: ipſas quoque mordeo terras.

VAR. LECT.

1. C. & E. & P. & Per. vno. 2. C. Dum. 3. C. Scruto.

ANNOTATIONES.

1. *vnco*] Sic habent optimi codices A. & B. quod ideo monitum volo, ne quem in ſuas partes trahat aliorum librorum MSS. ſcriptura, qui *vno* habent. Recte etiam editum fuerat *vnco.* Equidem fateor, ſcripturam *vno* non prorſus abſurdam eſſe. Sunt enim ancorae quaedam inferius ita diuiſae, vt ſuperius coëant in vnum corpus. Sed tamen huius generis ancorae extremitas non vocabitur commode *mucro, vncus* vero *mucro* vocabitur commodiſſime. Retineo igitur *vnco,* eoque magis, quod poëta noſter imitatu-

rus

rus fuiſſe videtur Virgilium, cuius haec ſunt verba *AEn. I. 173.*

- - Hic feſſas non vincula naues
Vlla tenent, vnco non alligat ancora morſu.

3. *mordeo terras*] Modo audiuimus, a Virgilio quoque *morſum* tribui *ancorae.* Idem *dentem* ancorae tribuit, *AEn. VI. 3.* inquiens: *tum dente tenaci Ancora fundabat naues.*

C.

OLLA.

Mater erat tellus, genitor fuit ipſe Prometheus:
Auriculaeque regunt redimitae ventre cauato.
Dum cecidi infelix, mater mea me diuiſit.

VAR. LECT.

A. De olla. 2. B. Auriculas redimita veho cum ventre. 3. A. mater mea meque diuiſit. B. mater mea poſt diu vixit. Per. infelix, mater mea me diuiſit. A. & B. Dum miſera cecidi.

ANNOTATIONES.

OLLA.] Editum erat *LAGENA.* Sed praeplacet mihi titulus vetuſtiſſimi codicis OLLA. Recordor hic *ollae* Euclionis auro onuſtae, de qua exſtat lepida Plauti fabula, inſcripta *Aulularia.*

2. au-

2. *auriculae*] Innuuntur *anſae* ollae, quas & Graeci ὦτα vocant. Sic Heſiodus *Εργ. v.657.* meminit τρίποδ' ὠτώεντα, *craterem vtrinque anſatum.*

1. *Prometheus*] Hic primus fertur e luto finxiſſe homines. Vnde illud: *cui de meliore luto finxit praecordia Titan.* Propertius *lib. III. eleg. 4. v. 7: O prima infelix fingenti terra Prometheo!*

3. *Dum cecidi*] Hic verſus ſic fluit in editione vulgata: *Dum cecidi infelix mater mea me ante diuiſit.* Quae ſcriptura cum non poſſit non eſſe falſa, quippe cum producta ſit prior ſyllaba vocis *diuiſit*, initio ſic geſtiebam reſcribere: *me matre nec ante periui.* Verum mutaui mentem, poſtquam ſenſi, verſum hunc eſſe ſpondaicum, adeoque eiecto *ante* non dubitanter ita ſcripſi: *Dum cecidi infelix, mater mea me diuiſit.* Eadem emendatio in mentem venit Celeb. Haſaeo, imo ipſa illa ſcriptura exhibetur a Perionio. Recte autem olla, dum frangitur, *diuidi* dicitur. Nam & apud Virgilium *AEn. II. 234.* exſtat: *diuidimus muros*, id eſt, perfringimus. Libet tironum in gratiam ſubiungere ſpondaicos aliquot verſus e poëtarum principe. *Georg. I. 221: Ante tibi Evae Atlantides abſcondantur. AEn. III. 12: Cum ſociis, natoque, Penatibus, & magnis Diis.* Ibidem *v. 517: Armatumque auro*

ro circumſpicit Oriona. Et *v.549: Cornua velatarum obuertimus antennarum. AEn. VIII. 54: Pallantis proaui de nomine Pallanteum. Georg. III. 276: Saxa per & ſcopulos, & depreſſas conualles.* Qui poſtremus verſus imaginem rei ipſius luculenter deſcribit. Atque idem fit in vltimo verſu aenigmatis noſtri, qui tam concinne compoſitus eſt, vt quaſi audire nobis videamur, rumpi ollam humi prolapſam.

3. *Dum cecidi*] Variantem huius verſus lectionem in codicibus D. & E. vide ſupra in annotatione mea ad aenigma LXXIX. 3. Nam duo illi codices hoc aenigma non exhibent vltimo loco. Idem plane non exſtat in codice C.

HACTENVS SYMPOSIVM.

ANNOTATIONES
AD
LACTANTII SYMPOSIVM
IOSEPHI CASTALIONIS, CASP. BARTHII, FRID. BESSELII, THEOD. HASAEI, ET IO. MATTH. GESNERI.

INcipiunt AEnigmata Sympoſii Poëtae] Vt in aliorum quoque auctorum manuſcriptis libris: *Incipit liber primus, explicit liber ſecundus;* & in Vibii Sequeſtris vetere libro: *Incipiunt amnes, expliciti fontes.* CASTALIO.

Praef. v. 1. Haec quoque Sympoſius] Hoc principio vſus eſt Vergilius lib. II. Georg. *Te quoque magna Pales,* &c. & lib. VII. AEn. *Tu quoque litoribus noſtris;* & Columella: *Hortorum quoque te cultus, Siluine docebo.* CASTALIO.

Haec quoque] Veterum ſequitur morem, qui nomen ſuum initio operis profitebantur. Dicam ad Demetrium Phalereum. BESSELIVS.

Haec quoque] Haec verba *Haec quoque,* amplam ante hunc libellum editum ſcirptorum copiam deſignant. Celebritatem eiusdem arguit etiam auctor vel interpres Hiſtoriae Apollonii Tyrii, qui de

de centum Sympoſii aenigmatis petitis verſibus ſuorum ſapientium doctrinam ſpectandam proponere voluit. BARTHIVS *Aduerſ. lib. LVIII. cap. 1. p. 2720.*

Haec quoque] Male omnino Editio Pithoeana, quae totum illud Praeloquii Epigramma praeteriit. BARTHIVS *ibidem.*

de carmine] Vid. Barthius ad Claudianum p. 1343. BESSELIVS.

Haec quoque Sympoſius] Verſus hic primus, qui occaſionem creando Sympoſio dedit, ita forte conſtituendus: *Hoc quoque Sympoſium de carmine luſus inepto*, id eſt, hoc ſympoſium luſus eſt carmine inepto conceptus, feſtinato quippe & inter nugas alias quaſi effutito. Vſus particulae *de* ſimilis, in Fabriano etiam Dictionario obſeruatus, recurrit in hac praef. v. 15. tum aenigm. I. 1; IV. 1; XCV, 1. GESNERVS.

de carmine luſit inepto] Ἀποπληρωματικῶς *de*, vt poſt *magno de nomine* & *ſubito de carmine.* CASTALIO.

2. *Sic tu es ex te doces*] Scriptoris librarii mendum forte tolletur, ſi, vt excuſum eſt, legetur: *Sic tu, Sexte, doces.* Nulla literarum mutatione luxatas fere tantum literas coniungimus: quod vitium cum minus vidiſſet is, qui primus *Fortunatum*

 proxi-

proximis annis edidit, verſum corrupit in Epitaph. Roriciorum. Eſt enim in Vaticano codice: *Accum ente gradus penomine ſanguine nexi.* Hunc ſic emendat: *Accumulante gradus praenomine ſanguine nexi.* Quem verſum nos olim ita correximus, vt poſtea vidimus in alio libro manuſcripto: *Actu, mente, gradu, ſpe, nomine, ſanguine nexi.* CASTALIO.

3. *annua Saturni*] Saturnalia. De feſtis Saturnalibus A. Gellius lib. XVIII. cap. 2. multa, quae ad hunc locum pertinent, narrat, & Macrobius lib. I. Saturn. CASTALIO.

7. *madidae facundia linguae*] Ebriae. Sic Tibullus & alii. CASTALIO.

9. *nugas*] *Nugas*, cum iocantur, poëtae appellant ſuas argutias. Auſonius: *Noſtra ſimul variis certant Epigrammata nugis.* Martialis lib. IX. epiſt. 1: *Ille ego ſum nulli nugarum laudé ſecundus.* Catullus: *Namque tu ſolebas Meas eſſe aliquid putare nugas.* Sidonius ad Polemium de Epithalamio ſuo: *Iam talis ordo eſt, vt ſine plurimis nouisque verbis, quae praefata pace plurimorum eloquentium ſpecialiter tibi & com-Platonicis tuis nota ſunt, nugae ipſae non valuerint expediri.* Haec ideo notamus, ne quis cum erudito viro Sympoſium accuſet, qui egregia ſane aenigmata ſua *nugas* appellare non erubuit. BAR-

BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1218.*

10. *ſed friuola multa locuta*] Feſtus Pomp. *Friuola ſunt proprie vaſa fictilia quaſſa, vnde dicta verba friuola, quae minus ſunt fide ſubnixa.* CASTALIO.

friuola] *Friuola* ſermones inepti ſunt, quos nihili aeſtimamus, quisquiliae quaeuis. Prudentius: *Sum memor ipſe mei, atque ſatis mea friuola noui.* BARTHIVS *Aduerſ. lib. XLIV. cap. 20. p. 2028.*

11. *mediocre-inſtar*] Vergilius: *Tantum inſtar in ipſo eſt.* CASTALIO.

12. *Ponere-ſoluere*] *Ponere* eſt *proponere*, vti Gorgias apud Ciceronem, ni fallor, *poni* iubet, de quo quis audire ſe dicentem velit. *Soluere* eſt *explicare.* Cum igitur aenigmatis certarent, ipſe quoque (v. 15.) hos verſus ex tempore fecit Lactantius, non in pugillares antê relatos, ſed voce ſtatim prolatas, aliis forte materiem ſuppeditantibus. GESNERVS.

ponere diuerſa] Finalem *a* contra vulgatas grammaticorum praeceptiones produci a poëtis, annotauit etiam Giſanius in Lucretium. CASTALIO.

15. *ſubito de carmine*] Scio, abundare aliquoties apud hunc ſcriptorem particulam *de*, ſed tamen hoc loco ineptam eſſe iudico, & ſcribendum *ſubitô decermine*,

quod ad feſtinationem velut interruptae vocis alludit optime, ſimul convenit cum Feſti aut mutilatoris ipſius notâ, qui *decermina* purgandi gratia auulſa, ſacrificali, vt puto, intellectu, dicta autumat. Quam maxime contemtim enim loquitur de ſuis Sympoſius. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

de carmine] Notum eſt, particulam *de* abundare multis bonorum auctorum locis. At iſto ſane alia res. Nec enim, etiam ablata eâ vocula, quicquam ſubuenitur ſententiae. Ergo, aliud quid latere, exiſtimandum erit. Scribo ſine mora: *ſubito decermine vocis.* Quicquid *decerpere* ex aliorum dictis poterat, ſubito carmine incluſiſſe ſe ait. *Decermen* etiam affectat humilitatem: eſt enim, quod purgandae rei cauſa decerpitur, vt notat Feſtus: & *Fortunae decermina* apud Apuleium ex reſtitutione diuini Lipſii nota. Potius tamen ob breuitatem ita nuncupaſſe ſua aenigmata videtur Sympoſius. *Decerpitur* enim, quod paulatim infertur & ſumitur. Claudianus: *Iamque frequens rarum* decerpere *transfuga robur Coeperat.* Hanc correctionem etiam ſupra lib. XXVI. cap. 28: ſed, quia elegans vſus verbi, hic firmanda videbatur tantillae chartulae

tulae iacturâ. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XLIV. cap. 20. p. 2028.*

16. *inſanos inter*] Horatius ſat. 3. lib. II: *Inſanos qui inter vereare inſanus haberi.* CASTALIO.

inſanos] Hoc ab Horatio petitum ſcias lib. II. ſerm. 3: *Pudor, inquit, te malus vrget, Inſanus qui inter vereare inſanus haberi:* vel e Petronii Satyrico: *doctores peccant, qui neceſſe habent cum inſanientibus furere.* BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

17. *Quid non capit ebria Muſa?*] Sic legimus cum interrogationis nota, vt Horatius: *Quid non ebrietas deſignat?* Caeterum varias lectiones adſcripſimus ex editione Petri Pithoei, clariſſ. I. C. quam poſt videre contigit Lutetiae excuſam: In ea hic eſt: *quod non ſapit ebria Muſa;* & ſupra *diuerſe* pro *diuerſa.* CASTALIO.

quid non capit] Rectius Pithoeus in edit. Pariſienſi: *quod non ſapit ebria Muſa.* Omnium optime vetus editio Pariſienſis neſcio cuius: *ſi non ſapit ebria Muſa.* BESSELIVS.

quid non] Vera lectio in antiquiſſima editione Ioachimi Perionii exſtare videtur, qui Sympoſium primus protulit: *ſi non ſapit ebria Muſa.* BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

AENIGMA 1. *Grbphkxm*] *Graphium.*

Notis plerique tituli in vetere libro, quibus aenigmata ſoluuntur, ſunt obſcurati. Quod ſi proximas ſequentes conſonantes pro vocalibus, hoc eſt, B pro A, F. pro E, K pro I, P pro O, X pro V, adhibitas tenebimus, nullo negotio legentur. Suetonius C. Iul. Caeſarem iisdem fere notis vſum eſſe tradit. *Graphium*, quod & *ſtylum* dicimus. Seneca lib. IV. Quaeſtionum naturalium: *digitum ſuum bene acuto graphio pungebant.* CASTALIO.

Graphium] Qui inſcriptionem adiecit, maluiſſe debebat *ſtylus*, quia *v. 1. planus* dicitur. GESNERVS.

I. 1. *De ſummo planus*] Duplicem *ſtyli* vſum, ſiquidem ex altera parte literas exarabant, ex altera ceram, vbi erant inſcalptae literae, complanabant, & Aurelius Prudentius, in Hymno S. Caſſiani, martyris, prodit his verſibus:

Inde alii ſtimulos & acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur:
Et qua ſecti apices abolentur & aequoris hirti
Rurſus niteſcens innouatur area.

Huc ſpectat illud Horatii: *ſaepe ſtylum vertas*, & Ciceronis: *vertit ſtylum in tabulis ſuis.* Quare legendum etiam iudicauimus: *verſor vtrinque manu*, etſi *vtranque* in veteri libro ſit ſcriptum mendoſe. CASTALIO.

2. *ver-*

2. *verſor*] Recte legit Caſtalio: *verſor vtrinque manu.* BESSELIVS.

verſor] Ita legendum eſt: *verſus vtrinque manu diuerſo munere fungor.* BARTHIVS *Aduerſ. lib. XIX. cap. 14. p. 989.*

verſor] Hoc aenigmate falſum eſt, *ſtylum vtraque manu verti.* Siue enim plana pars ſiue acuta obuertatur, vna tamen manu vertitur. Ergo ſcribendum putes: *verſus vtrinque manu diuerſo munere fungor.* Niſi ſi *manum* velut proboſcidem ipſius ſtyli dicas, vt *elefantorum manus* dicitur: idque verius puto. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

3. *reuocat*] delet, abradit, obliterat. Horatius: *volat irreuocabile verbum.* CASTALIO.

II. *Arundo*] *Arundo* calamum ſcriptorium denotat. Perſius: *Inque manus chartae nodoſaque venit arundo.* BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXIV. cap. 13. p. 1195.*

II. 1. *Dulcis amica Dei*] Panos. Quod ſi *deis* legas? id eſt, grata *deis*, qui fiſtula vterentur. CASTALIO.

Dei] Panis, ſyrinx. GESNERVS.

profundis] paludibus. GESNERVS.

Semper vicina profundis] M. Cato, M. Varro, & Plinius auctores ſunt, arundinem locis depreſſis atque humidis gaudere. Columella lib. IV. cap. 32. vallibus

proſperius, quam cliuis, fluminumque ripis, & limitibus, ac vepretis commodius, quam mediis agris, deponi confirmat. CASTALIO.

2. *Suaue canens Muſis*] Virgilius: *Syluestrem tenui Muſam meditaris auena.* Et Lucretius *fundere Muſam* dixit his verſibus:

— — — *cum Pan*
Pinea ſemiferi capitis velamina quaſſans
Vnco ſaepe labro calamos percurrit hiantis,
Fiſtula ſyluestrem ne ceſſet fundere Muſam. CASTALIO.

2. *nigro perfuſa colore*] Calamo etiam & atramentis veteres vſos eſſe ad literas in chartis pingendas, Horatius indicat: *Incomtis adlinet atrum Transuerſo calamo ſignum.* CASTALIO.

nigro colore] atramento. Hodienum *calamis* ſcribunt calligraphi noſtri, cum *fractura*, quam vocant, vtendum eſt. Sed iſta Montfauconius pleniſſime. GESNERVS.

III. 2. *ingenitum*] Innatum, inſitum, vt multis auctoribus probamus in Rutilium Numatianum, ad illum verſum: *Ingenitum cumulant vrbis honore decus.* CASTALIO.

ingenitum] Quae hic annotat Caſtalio, nihil ad hanc Mineruam. BESSELIVS.

3. *facies — figuras*] *Facies*, archetypum: *figura*, imago expreſſa. GESNERVS.

IV.

IV. 2. *iterum ſecludo*] Emendo: *ſed cludo patentes.* Sequitur enim: *ſed rurſus ſeruor.* CASTALIO.

VI. 2 *Eſt domus in alto, ſedes eſt ſemper in alto*] Hic verſus ſpurius eſt. In Pithoei tamen editione ſic legitur: *Alta domus quaero, ſedes eſt ſemper in imo: in qua ſuperior verſus pro adulterino habetur.* CASTALIO.

Eſt domus in alto, ſedes eſt ſemper in alto] Ita edidit Caſtalio, ſed verſum non malo iudicio cenſet ſpurium, additque, Pithoeum promulgaſſe: *Alta domus quaero, ſedes eſt ſemper in imo.* In editione Perionii: *Alta domus quaerit, ſedes eſt ſemper in imo.* Quae ſcriptura cum antiquiſſimo exemplari debeatur, ſic videtur conſtituendum totum aenigma: *Terra mihi corpus, vires mihi praeſtitit ignis. Alta domus quaerit, ſedeo ſed ſemper in imo.* Coctilis materia fundamentis aedificiorum ſubſternitur. Ita ait later, ſeſe firmam ſempiternamque ſedem in imo habere. Alludens interim acute, inſtabilem ſedem ſibi in alto eſſe, licet domus tecto opus habens eò poſcat: nimirum propter ventos turbineſque, quibus debellantur lateres. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

VII. 1. *Sunt mihi, ſunt lacrymae*] In primo huius carminis verſu, ita vt ſcriptus hic eſt, nullus videtur eſſe vocum ſenſus, nulla

nulla verborum conſtructio. Quid ſi ita ſcriberemus: *Sum tibi fons lacrymae, ſed non ſum cauſa doloris:* vt innuatur, fumo quidem ex oculis elici lacrymas, non tamen eiuscemodi, vt vulgo ex animi aegritudine proueniant. Atque iſta lectio eo magis videtur praeferenda, quod frequentiſſime, & tantum non ſemper, in prima perſona ſermo inſtituatur, & identidem τὸ *ſum* initio carminis occurrat, vt vel ex immediate ſequenti aenigmate patet: *Nox ego ſum facie* &c. HASAEVS.

VIII. 1. *ſed non ſum nigra colore*] Quia nox *furua*. CASTALIO.

3. *Nec mihi dant ſtellae, nec intia lucem lumen*] Nos ſic: *Nec mihi dant ſtellae lucem, nec Cynthia lumen.* CASTALIO.

IX. 3. *Sed ſinus excepit qui me, ſimul ipſe recepit*] Id eſt, ſinus ſiue terrae ſiue aquae, qui me excepit, ipſe etiam recepit, id eſt, auctus eſt mea copiâ. CASTALIO.

ſed ſinus] AEnigma *de pluuia* non intellexit Caſtalio. Alludit enim poëta ſolis vim, qua ex fluuiis humor trahitur ad ſuperna, qui, cum pluuiis denuo demittitur, recipitur & excipitur ſimul a ſinibus hoc eſt, lacubus & fluuiis, ex quibus antea venit. Si tamen per *ſinum* arcum pluuium quis capere argutius malit, ego non pugnauero. De re ipſa lege Appuleium

leium *de mundo*. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1282.*

X. 1. *Vnda fui quondam, quod*] Vnde illud apud Diomedem grammaticum aenigma de glacie: *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me.* CASTALIO.

2. *coeli connexa catenis*] Horatius in (a) Epiſtolis: *Thracáne vos Hebrusque niuali compede vinctus.* Et Caeſar: *Thrax puer adſtricto glacie dum ludit in Hebro.* CASTALIO.

3. *nec calcata*] *Calcata* per graeciſmum poſitum eſt pro *calcari.* GESNERVS.

XI. 2. *tacitus ſed non ſonat hoſpes*] Horatius: *O multis quoque piſcibus Donatura cycni ſi libeat, ſonum.* Vide prouerbium: *Piſci dixeris, piſce taciturnior.* Io. Pierius multa de piſcium ſilentio in *Hieroglyphicis.* CASTALIO.

XV. 1. *Non poſſum naſci, ſi non*] Ibidem Pierius, quae huc referri poſſent, diligenter congeſſit. CASTALIO.

XVII. 2. *Nec pepli radios poſcunt, nec licia telae*] Ita edidit Caſtalio. At princeps editio Perionii: *Nec telae radios poſcunt, nec licia telae.* Emenda: *nec licia telas.* Illud alterum eſt a correctoribus. Senſus clarus, phraſis elegans. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1281.*

XIX.

(a) Lib. I. epiſt. 3. v. 3.

XIX. 1. *Rauce ſonans*] *Rauca ſonans* legendum eſſe credimus, vt Vergil. lib. IX: *Cunctatur & amnis Rauca ſonans.* Al. *rauciſonans.* CASTALIO.

2. *ſed vox laude ſonat, quae ſe quoque laudet & ipſa*] Haec lectio valde praepedita eſt. Magis tamen intelligi poterit, ſi ita corrigas: *Sed vox laude vocat, qua ſe collaudet & ipſam,* hoc ſenſu: Quanquam rana in aquis valde eſt ſonora, cum illud ſuum κοὰξ κοὰξ ingeminat, vox tamen, quam oſtentare & qua ſemet ipſam quaſi laudare videtur, laude vera caret. Sed nihil hic definio. HASAEVS.

XX. 2. *ſaeuo praedita fato*] Id eſt, fatum mihi triſte & atrox tributum eſt, vt prius non canam, quam mortua & exenterata ſum. GESNERVS.

3. *quae ſic modo mortua canto*] Legendum: *quae ſum modo mortua, canto.* GESNERVS.

XXII. 1. *Prouida ſum vitae*] Horatius: *at non incauta futuri.* Mox Pithoeus legit: *ſed duro non pigra labori*, & *praeuia*, non *praemia.* CASTALIO.

3. *viciſſim*] hoc eſt, per vices, ſaepe. GESNERVS.

XXIII. 1. *Improba ſum*] Vide Pierium. CASTALIO.

quid enim glila] *Gula*, vt ſit pro *glila*, nemo non videt. CASTALIO.

3. *fal-*

3. *falſo conterrita vento*] *Facto vento* pro *falſo* correximus, vt eſt apud Terentium in Eunucho: *Ventulum huic ſic facito.* CASTALIO.

XXIV. 1. *frugibus non*] Nos fecimus: *non frugibus.* CASTALIO.

2. *non recto nomine dictus*] Forte quia rectius *curculio*, quam *gurgulio*, ſcribitur. Sed mihi ipſe non ſatisfacio. GESNERVS.

XXV. 1. *Pauca mihi domus eſt*] Horatius in Serm. CASTALIO.

3. *quod mihi nomen ineſt, Romae quoque Conſul habebat*] In Faſtis Capitolinis: P. DECIVS. Q. F. MVS. & P. DECIVS. Q. F. Q. N. MVS. Viden' Sympoſium noſtrum bene doctum & antiquitatis peritum? CASTALIO.

XXVI. 1. *Litera ſum coeli*] Non intelligo. At alterum verſum de pygmaeorum cum gruibus pugna capio: de qua nuper Hardtius. GESNERVS.

litera ſum coeli] Martialis: *Vnam perdideris ſi Palamedis auem.* CASTALIO.

XXVII. 1. *Viuo nouem vitas*] In opuſculis Virg. Pierius in Hieroglyph. CASTALIO.

2. *Vtraque ſum ſemper, nullo complexa dolore*] *Atraque* ex *vtraque* fecimus, & eſt ſententia: *Quamuis ſim atra, nihil tamen doleo.*

Ad

Ad illud reſpexit, quod *atrati* cognatorum funus proſequebantur. Legendum etiam fortaſſe: *nullo conſperſa colore*, vt apud Horatium: *furtiuis nudata coloribus*. Sed recte Pithoeus: *nullo compulſa dolore*, adhibetque lemma, CORNIX. CASTALIO.

atraque] Sic optime Caſtalio ex *vtraque*. *Atrati* autem apud Romanos funus cognatorum proſequebantur: quò alludit Sympoſius. BESSELIVS.

XXVIII. 1. *primo de tempore noctis*] Nox prima. Perſius ſat. 5: *Et tecum primas epulis decerpere noctes*. CASTALIO.

2. *pluma mihi non eſt, cum ſit mihi penna volantis*] *Auis non auis*, de veſpertilione Platonis dictum. CASTALIO.

XXIX. 2. *Incolumi dorſo*] Forte *incolumis dorſum*, vt ſit *hoſpes incolumis*, *completus dorſum telis*. Vera tamen lectio Pithoei: *Incolumi dorſo telis confixus acutis*. CASTALIO.

3. *ſedes*] *AEdes* fortaſſe, vel, vt Pariſienſis editio, *ſegetes*: quod uerum arbitror. CASTALIO.

XXX. 1. *Eſt noua*] AEnigma, quod Homero cauſam fuiſſe necis nugantur. GESNERVS.

Eſt noua] AEnigma piſcatorum Homero obiectum, notum ex Herodoto. CASTALIO.

2. *ſed*

2. *ſed tu*] *Id tu* reponendum iudicauimus. CASTALIO.

ſed tu] *Id tu* reſcribit Caſtalio. Sed vetus codex eiusdem: *ſed tu.* Bene. BESSELIVS.

XXXI. *Phoenix.*] De Phoenice Ouid. XV. Metam. Claudianus, & Lactantius Firmianus. Vide & Pierium in Hieroglyphicis. CASTALIO.

3. *ſic ſolos manes ipſos mihi dico parentes*] *Mares* habet vetus exemplar. Nos *cineres* legi oportere olim arbitrabamur. Sed *Manes* omnino legendum ex auctoritate Gallici exemplaris. Claudianus quoque Phoenicis rogum parturientem dicit: *Parturiente rogo curis natura laborat.* CASTALIO.

XXXII. 2. *Et Cilicus mons ſum*] Melius Pithoei codex *Cilicum.* Tibullus: *Impoſitor taurus arat Cilicas.* Diomedes grammat. de multiplici ſignificatione huius vocabuli: *Cum dicimus,* inquit, *taurum, & neſcias, vtrum de armento, an obſcena corporis parte, an montem, qui eſt in Cilicia, an qui eſt in ſideribus, dicamus.* CASTALIO.

Sed non ſum nomine ſolo] *Solo*, id eſt, *vno:* eſt enim ὁμώνυμον ſiue πολύσημον. CASTALIO.

3. *vehor in coelis*] Motu coeli, & ambulo animal in terris. CASTALIO.

S XXXIII.

XXXIII. 2. *victusque cruentas*] *Cruentos* reſtituimus. Supra (*v. 1.*) *inſanguis* priſca voce editum Pariſiis pro *inſanis*. CASTALIO.

3. *Multaque cum rabie*] Vt ſit *cum multa rabie*, deme encliticam particulam *que*, & lege: *Multa cum rabie*. Vel ſic: *Multaque poſſum cum rabie quoque tollere vocem*, vt ſit *multa* quarti caſus. CASTALIO.

vocem quoque tollere] Id eſt, eripere. Virgilius ecl. IX: *Vox quoque Moerin Iam fugit ipſa, lupi Moerin videre priores*. CASTALIO.

XXXIV. 1. *cor*] *Cor* hoc loco notat *ſapientiam*. *Carne puer, ſed corde ſenex*, ait ille. Claudianus: *Ignea longaeuo frenatur corde iuuentus*. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XVI. cap. 30. p. 853.*

cor] Sic Auguſtus Imp. in epiſtola ad Horatium, quae in huius Vita exſtat, inquit: *Vereri mihi videris, ne maiores libelli tui ſint, quam tu ipſe es. Sed ſi tibi ſtatura deeſt, cor corpuſculo* (ſic enim legendum puto,) *non deeſt*. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVII. cap. 1. p. 1284.*

cor] Hoc eſt, aſtutia, verſutia, doloſitas. Martialis lib. III. epigr. 26: *Et cor ſolus habet*, id eſt, ſolus ſapit, in rem ſuam prouidus eſt. Idem lib. XI. epigr. 85: *Vnus de cunctis animalibus hircus habet cor*. Arnobius

bius lib. VI: *Mortales illius temporis ac ſaeculi corde fuerunt vacui.* Boëthius lib. IV. de conſol. cap. 3:

O leuem nimium manum,
Nec potentia gramina,
Membra quae valeant licet,
Corda vertere non valent.
Intus eſt hominum vigor
Arce conditus abdita.

BARTHIVS *Aduerſ. lib. XLIII. cap. 22. p. 1971.*

2. *cum verſura*] *Sum verſuta* fecimus. CASTALIO.

XXXV. 3. *reſpondeo lingua*] *Voce* Pithoeus legit. CASTALIO.

XXXVI. 2. *virides ſaginas*] Id eſt, glandem decuſſam. *Numen* autem (*v. 3.*) *Orcum* deſignat. CASTALIO.

XXXVII. *Mula.*] De mula vide Pierium in Hieroglyphicis. CASTALIO.

2. *alterni*] Pithoeus: *confuſi generis.* Idem *matri* melius, quam *matris*, legit. CASTALIO.

XXXVIII. 2. *Iunctaque ſum vento*] Idem de equabus in Luſitania Plinius, & alii. CASTALIO.

3. *Et mihi dat ventus natos*] De Luſitanicis equabus res nota. Simile de perdicibus narrat Solinus, & confirmat ex Ariſtotele, Antigono Caryſtio, Athenaeo, Plinioque Salmaſius Exercit. Plin. p. 107.

edit. nou. De *tigride* vento grauida res non peruulgata. Poterant tamen indagantem hac de re veterum relationes ὁδηγεῖν, ſi otium iam eſſet, interpretes Pollucis ad I. 77. itemque Delrio ad Claudianum. GESNERVS.

XLI. 1. *Anſeris eſſe pedes*] Folia quidem certe *maluae* ſunt ſimillima pedibus anſeris. CASTALIO.

XLII. 1. *Beta vocor*] Propter ſecundam literam, Αλφα, Βῆτα. Pithoeus habet *Tota.* CASTALIO.

Beta vocor Graece] Ego ſumma induſtria Perionii MS. lectionem reducendam arbitror, quae cum non intelligeretur, ſuo iumento ſibi exilium accerſiuit:

Beta vocor Graiis, ſed non ſum beta Latinis.
Pauperibus ſemper proponor namque tabernis.
In terris naſcor, &c.

Beta per *e* longum eloqui nos decet. *Non ſum beta Latinis.* Contrahit poëta ingenio praeſtans vocem *beata*, vt ex *a* & *e* ἦτα fiat Graecum. Ita ait, plantam illam *betam* Graecis dici, ſed minime *beatam* Latinis, apud quos ſoleat proponi pauperculis. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XXVI. cap. 28. p. 1282.*

Beta vocor] Verſu primo innuitur litera βῆτα, *be*; altero B litera, quae notat *bonum*, teſtibus, qui de notis ſcripſere; tertio *beta* olus. GESNERVS.

Beta

Beta vocor] Fateor, mihi hunc verſiculum multam magnamque curam fixiſſe. Quid enim? cogitabam. *Beta*, quae inter legumina eſt, Graece vocatur *Tota?* Anne illa voce aliâ vocatur, quam σεῦτλε vel τεῦτλε? Et num vox *tota* vel in tota Graecia occurrit? Et quid hoc ſibi vult? *ſed non ſum tota Latine.* Quid tamen mihi in mentem venerit, exponam. Totus videlicet verſiculus retineri poteſt, nullâ vel literulâ mutata, hoc ſenſu: Appellor eo nomine & voce, quae integra vel tota eſt in vſu apud Graecos, qui ſecundam alphabeti ſui literam vocant *beta*. At non ita ſe res habet apud Latinos, qui literam eandem non tota hac voce, ſed tantum eâ truncata & dimidiata *deſignant*, *be*. Et hoc eſt: *Tota vocor Graece, ſed non ſum tota Latine.* HASAEVS.

2. *Pauperibus ſemper proponor namque tabernis*] Ex Perſii ſat. 3: *plebeiâ radere beta.* Martialis ſcribit, *betas* eſſe *fabrorum prandia.* CASTALIO.

2. *Ante tamen mediam cauponis ſcripta tabernam*] Verſus ſpurius eſt. Pithoei codex tamen habet, omittitque ſuperiorem: *Pauperibus ſemper proponor namque tabernis.* CASTALIO.

3. *oliua*] *Oliuo* fortaſſe. CASTALIO.

XLIII. 1. *dum pendeo naſcor*] Forte ſic: *dum pendeo, creſco.* CASTALIO.

3. *non ſum iam iamque ventura*] Pro *ventura* legendum putauimus *futura*. Hic recitandis exemplis, quibus, cucurbitam pendere ſolitam, confirmem, ſuperſedere potuiſſem, nihil vel ex hoc intelligere quosdam voluiſſem, quibus nihil, quod ſui palati non ſit, probari poteſt, Sympoſium noſtrum non adeo rudem ac rerum imperitum eſſe, vt cucurbitae culturam neſciret. Palladius in Martio de cucurbita: *Vbi adoleſcere coeperint, adminiculis adiuuentur: quae ſeruantur ad ſemina, in ſua vite pendeant.* Plinius lib. XIX. cap. 5: *Cucurbita quoque omni modo faſtigiatur vaginis maxime vitilibus, coniecta in eas. Poſtquam defloruit, creſcit qua cogitur formâ, plerumque & draconis intorti figurâ, libertate vero penſili conceſſa, iam viſa eſt IX. pedum longitudinis.* Et paulo infra: *Cibis quoque longiores tenuioresque eò gratiores, & ob id ſalubriores, quae pendendo creuere.* CASTALIO.

XLIV. 1. *Mordeo mordentes*] Propter acrimoniam. CASTALIO.

3. *dentes quia non habet*] Lege: *dentes quia non habeo vllos*, vt a Pithoeo editum poſt deprehendi. *Mordendi* verbo de *cepe* loquens Perſius vſus eſt ſat. 4: *tunicatum cum ſale mordens Cepe.* CASTALIO.

XLV.

XLV. ROSA.] Vid. Carmina de *roſa*, quae producit Scriuerius. BESSELIVS.

3. *O felix*] Vide *Roſam* in luſibus Virgilianis, & Pierium. CASTALIO.

XLVI. 2. *ſpiritus eſt magnus*] *Spiritus* odorem deſignat. Auſonius *Roſis*. *Moretti* Poëta; *Saepe viri nares acer iaculatur apertas Spiritus*. BARTHIVS *Aduerſ. lib. XX. cap. 20. p. 1004. & lib. XXIII. cap. 2. p. 1120.*

Spiritus eſt magnus] Lilii halitus acerrimus. Pithoei liber pro lemmate habet VIOLA. CASTALIO,

3. *Nec mihi germen*] Ad eximium *lilii* candorem alluſit. CASTALIO.

XLVII. 3. *cum mihi peccandi*] Hic verſus ſympoſii non eſt, omiſitque Pithoeus, qui & pro *ſed placet* melius *Et placet* edendum curauit. CASTALIO.

4. *gratia dandi*] *Danti* legendum puto. CASTALIO.

XLVIII. 1. *De lacrymis*] Vide apud Ouid. Metam. fabulam Myrrhae. CASTALIO.

pro lacrymis] Fortaſſe *per lacrymas*. CASTALIO.

XLIX. 1. *Eois*] Virgilius: *Indum ſanguineo ſi quis violauerit oſtro Forſan ebur*. CASTALIO.

2. *Nunc ego per partes*] Ebur ſectile. CASTALIO.

L. 1. *Herba*] Virgilius: *Nec graminis attigit herbam.* CASTALIO.

LI. 1. *Ambo ſumus lapides*] Molares. CASTALIO.

2. *non eſt piger alter*] Pithoeus: *non ſegnis it alter.* CASTALIO.

LIII. 1. *maritum*] Fortaſſe *maritam.* Et ſic Pithoei codex. CASTALIO.

maritum] *Maritantur* vites Horatiano, ni fallor, verbo GESNERVS.

LIV. 1. *flexi*] Fortaſſe *flexu.* At liber Pithoei *ferri* legit. CASTALIO.

3. *mortis*] Legendum eſt *morti.* GESNERVS.

LVII. CLAVVS CALIGARIS.] *Claui caligares* erant, quibus caligae praefigebantur. Plinius lib. IX. cap. 18: *Duo lacus Italiae in radicibus Alpium Larius & Verbanus appellantur, in quibus piſces omnibus annis Virgiliarum ortu exiſtunt, ſquamis conſpicui crebris atque praeacutis clauorum caligarium effigie.* Idem lib. XXXIV. cap. 14. & alibi. Spectanturque in Conſtantini Aug. arcu triumphali Romae. CASTALIO.

Clauus caligaris.] Qui hoc Epigramma legerit, non poterit amplius cum nouiſſima Fabriani Lexici editione aliquot locis errare. GESNERVS.

LVIII. 1. *findere*] Falſum id quidem eſſe, res loquitur. GESNERVS.

LX.

LX. 3. *mando*] *Mando, mandis*. CASTALIO.

praemia dentis] Hoc eſt, ramenta ſiue retrimenta. CASTALIO.

mando tamen — dentis] Salmaſius notis ad Capitolinum p. 156. in veteri codice reperit: *Caetera mando focis ſpernunt quod dentes acuti.* BESSELIVS.

LXI. 1. *ſtat in alto*] Addidimus *in, ſtat in alto.* CASTALIO.

3. *Terra tamen*] Mihi ἄδηλος verſus. Nunc tamen ſic lego: *Terra tamen mittit, quae terrae munera praeſtat*, & ita interpretor: *Quaecunque bona ad terram redundant pontium beneficio, ea omnia terra mittit, quae ponte iungitur.* GESNERVS.

LXII. 1. *inhaeſit*] Pithoeus *inhaeret.* CASTALIO.

3. *ſed non ſe ſponte profundit*] Niſi premar ſcilicet. CASTALIO.

LXIII. 3. *Neque*] Legendum *Meque*, omnes intelligunt. CASTALIO.

LXIV. 1. *Septa grauis ferro*] *Septa graui ferro* nobis probatur. CASTALIO.

3. *miſſaque*] Si verus hic verſus, de ſagitta in altum vibrata debet intelligi. GESNERVS.

LXV. 1. *De pecudis dorſo*] Intelligitur ergo ex corio flagellum. GESNERVS.

2. *moderati*] Pithoeus *moderata.* CASTALIO.

LXVI. 3. *faciem*] Id eſt, ſimilitudinem. Ouidius: *Haec facies Troiae, cum caperetur, erat.* Iuuenalis ſat. 10: *O qualis facies, & quali digna tabella, Cum Gaetula ducem portaret bellua luſcum.* CASTALIO.

LXVII. *SPECVLAR*] Seneca lib. IV. Nat. Quaeſtionum: *Itaque quamuis coenationem velis ac ſpecularibus muniant, & igne multo doment hyemem.* Columella de cultu hortorum: *Sed nihilominus ſpecularibus integi debebunt.* Iuuenalis ſat. 4: *Quae vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.* CASTALIO.

SPECVLAR.] Primum huius epigrammatis verſum ex vetuſtis membranis ſuis laudat Salmaſius Exercit. Plin. p. 184. *a*, & titulum ita concipi docet: *Vitreum ſpecular.* Diſtingui nimirum ea adiecta voce a ſpecularibus ex lapide, quae lumen quidem tranſmittant, ſolis ipſam ſpeciem non tranſmittant. Verum fortaſſe, quod de lapidum ſpecularium obſcuritate tradit. Sed cum laudat Martialis locum, qui eſt lib. VIII. epigr. 13. (al. 14.) eumque ita ſcribit:

— — *ſpecularia puras*
admittunt luces & ſine ſole diem;

in eo ratio fugere τὸν πάνυ videtur. Eſt enim

enim in caſtigatis editionibus: *puros adm. ſoles & ſine facce diem.* Nihil incommodi eſt in hac ectione. Quin planiſſima omnia ſunt: *admittunt ſpecularia ad arbores ſouendas ſolis lumen & calorem, arcent eadem faeces, & quicquid in hyberno aëre incommodum eſt: praeſtant aeſtatis commoda, defendunt iniurias hyemis.* Pet. Scriuerius, Cuiacio obſecutus & Douſiani codicis lectioni, primus pro *facce* videtur *ſole* in contextum intuliſſe, verum ita, vt contradicentem ſibi faciat Martialem: *puros admittunt ſoles, & ſine ſole diem.* Si *puri ſoles,* quî *ſine ſole dies*? Satis puto manifeſtum, nihil iuuari hoc Martialis loco Salmaſianam ſententiam, & perinde apud Martialem *vitreum ſpecular* poſſe intelligi, atque *lapideum.* Quin Salmaſius eundem Sympoſii verſum laudans p. 771. *a,* diuiſim legi debere dicit in iſta inſcriptione (VITRIVM, SPECVLAR) & συνωνύμως, deriuatque vt *ſpecular* a *ſpeciendo,* ita a *videndo* (quod Supinum olim ex ſe fecerit *vitum*, id eſt, *viſum,*) *vitreum* vel *vitrium.* Haud, ſpero, fraudi fuerit, pulcherrimo epigrammati hac occaſione nubeculam deterſiſſe. GESNERVS.

LXVIII. 1. *nulla peregrina*] Interpoſuimus verbum *eſt: nulla eſt peregrina.* CASTALIO.

3. *niſi quod*] *Quicquid* legendum eſſe, puta-

putauimus. Sed recte Pithoeus: *niſi ſi quid.* Fefellit, vt fit, eadem ſyllaba *ſi* geminata librarium. CASTALIO.

niſi] Pithoeanum: *niſi ſi quid*, verum omnino eſt. BESSELIVS.

LXIX. *RATIO.*] In hac deſcriptione *Rationis* vix ratio primo intuitu apparet, qua explicetur verſus ſecundus. Leui tamen mutatione alia facies apparet, ſi ita ſcripſeris: *Vix auidae linguae, fons & ſine fine loquendi;* atque tum ita conſtruxeris: *Vis & fons linguae, auidae loquendi ſine fine.* Vt ſenſus emergat: *vim omnem & fontem ſermonis eſſe poſitam in Ratione, quae materiam praebeat, vt loqui poſſis linguâ, quae auida eſt loquendi ſine fine, id eſt, quae ad garriendum ſemper eſt parata.* HASAEVS.

RATIO.] Melius inſcribit Camerarius CLEPSYDRA. GESNERVS.

RATIO.] Lemma eſt in Pithoei codice, CLEPSYDRA, ad quam cauſas oratores agebant. Et (*v.* 2.) pro *vis* legit *ius*. CASTALIO.

LXX. 3 *Et labor*] Tranſpoſuimus, *Labor et.* Ludit in *labor* & *labore.* Antea (*v.* 2.) pro *riuis* Pithoeus edidit *rimis.* CASTALIO.

LXXII. *VTER.)* Melius hoc aenigma Camerarius inſcribit *TIBIA.* GESNERVS.

3 *ineſt*]

3. *ineſt*] Fortaſſe *mea eſt*: & paulo ante (*v.* 2.) *recedat* Pithoei codex, in quo & lemma eſt *FOLLIS.* CASTALIO.

LXXIII. 1. *crudelis*] Propter naufragia. Recte Pithoei liber: *crudelior.* CASTALIO.

Deucalion] Legebam *Deucalioni.* Nautis enim crudele hoſpitium rupes e mari prominens vel coecus ſcopulus. GESNERVS.

3. *volucris tum*] Apis volucris. Pithoeanus legit: *volucris quoque nomen habebo.* CASTALIO.

LXXIV. 1. *refugi*] Pithoeanus: *profugi*, & mox (*v.* 3.) *calidis* pro *mediis.* CASTALIO.

LXXV. 1. *Semper ineſt*] Virgilius initio libri VI. AEn. *Quaerit pars ſemina flammae Abſtruſa in venis ſilicis.* CASTALIO.

LXXVI. *ROTA.*] Lemma in Pith. RPTB, ſeu *Quadriga.* CASTALIO.

ROTA.] ROTAE ſcribendum ex ipſa re, non ROTA. GESNERVS.

1. *currunt ex arte*] Ouidius lib. Amor. *Arte citae veloque rates remoque reguntur, Arte leuis currus.* CASTALIO.

LXXVII. 1. *Nos ſumus ad coelum quae ſcandimus*] Mutilus hic codex noſter: integer

teger vero Pithoeanus, addita voce, *petentes*. CASTALIO.

3. *comitentur*] *Mittantur* rectius legi, olim putaram. Nihil immuto, adductus & Pithoeani codicis auctoritate. CASTALIO.

LXXVIII. 2. *compreſſa*] *Comprenſa* libentius ſcripſerim, hoc ſenſu: *Quas ſequor manus, ſequuntur me, quibus ſum comprenſa* CASTALIO.

LXXIX. *TINTINNABVLVM.*] Iuuenalis ſatyra VI: *Et tintinnabula credas Pulſari.* CASTALIO.

3. *motus quoque longe*] Legebam: *motus longeque*. Sed recte Pariſienſis *ſaepe* pro *longe*. *Poſitus* autem & *motus* ſubſtantiua ſunt vel participia potius. CASTALIO.

LXXX. *CONDITVM.*] Ex Apicio lib. I. cap. 1. & 2. apparet, *vinum, mel, piper*, tria fuiſſe illa, quae ad *conditum* quodcunque pertinerent. GESNERVS.

LXXXI. 1. *actum*] *Auctum* fecimus, vt ad ſublatum referatur. CASTALIO.

LXXXII. 1. *Nomen habens Graecum*] Μῆλον id eſt, *malum*, quo Latini vtuntur, imitati Dores, qui α pro η vſurpant. Verius tamen Pariſienſis editio Pithoei legit: *Eſt mihi nomen ouis*. Μῆλα, *oues*. Vide Varronem de re ruſtica. CASTALIO.

2. *iuuenis pulchri*] Hippomenes. Vide Oui-

Ouidium X. Metam. Pithoei codex *fun-ſti* habet. CASTALIO.

2. *multarum cura ſororum*] Heſperidum. Virgilius lib. IV. AEn. *Heſperidum templi cuſtos.* Vide ibi Seruium. Plinius lib. XXXVII. cap. 2: *Theomenes dicit, iuxta Syrtim magnam hortum Heſperidum eſſe, ex quo in ſtagnum cadat, colligi vero a virginibus Heſperidum.* CASTALIO.

4. *Hoc volo, ne breuiter mihi ſyllaba prima legatur*] Et hic verſus additus eſt ab aliquo grammatico. CASTALIO.

LXXXIII. 1. *gente Catonis*] Porcia. GESNERVS.

2. *vna mihi ſoror eſt*] Scilicet altera eiusdem porci perna. Hebraeis hoc loquendi genus familiare, vt אחות dicant alteram rerum natura vel arte geminarum. *Plures licet eſſe putentur*: poſſis enim pernas omnes habere pro ſororibus. GESNERVS.

3. *ſapientia*] pro *ſapore*. Sic meus liber. At melius Pithoei codex: *De fumo facies mihi, de mare guſtus inhaeſit.* CASTALIO.

Sapientia] Reſpicit *ſalem marinum*. Quod enim ſapit perna, de ſale habet. Sic vice verſa *ſalis mica* dicitur de *ſapientia*. GESNERVS.

LXXXIV.

LXXXIV. 3. *corpus in illo*] Pith. habet *pondus*. CASTALIO.

LXXXVI.] Titulus huius aenigmatis deſideratur in meo codice. At in Pithoeano eſt *STRIGILIS*. CASTALIO.

1 *Rubida*] Fortaſſe *Roſcida*. Sed recte Pithoeus: *Rupea, curua, capax*. Strigiles veterum Romanorum, quibus in balneis vtebantur, vidimus apud Alfonſum Ciacconium, V. C. CASTALIO.

LXXXVII. 3. *non eſt nuda domus*] Vide Vitruuium de balneis. *Apodyterion*, locus, vbi veſtes deponebant in balneis. CASTALIO.

LXXXIX. 2. *pretium flammae*] Vnde aurum putum, purum, & obryzum. CASTALIO.

XCI. 2. *Quinque pedes habui*] Propter longitudinem corporis fortaſſe, & ludit in ambiguo verbo *quinque pedum*, quod ad menſuram pertinet, & *duûm pedum*, quos podagra debilitabat. Verùm nodum ſoluit Pithoei lectio: *Sexque pedes:* & lemma verum ex eodem libro: *EQVES PODAGRICVS*. CASTALIO

3. *inopem me copia fecit*] Ouidius lib. III. Met. *Quod cupio, mecum eſt, inopem me copia fecit*. CASTALIO.

XCII. *LVSCVS*.] Lemma verum huius aenigmatis arbitror, quod Pithoeus edidit:

dit: *LVSCVS alium vendens.* Sic enim veteres libri, vt Horatii, *alium* praeferunt pro *allium.* Notum eſt *capitatum allium* in rei ruſticae ſcriptoribus. CASTALIO.

XCIII. 2. *doctus meat arte*] Qui hodie funambuli in protenſis funibus mirifica faciunt, veterum etiam rebus non ignoti erant. Manilius libro V:

Quod ſi forte aliquas animo conſurget ad artes,
In praerupta dabit ſtudium, vincetque periclo
Ingenium, aut tenues auſus ſine limite greſſus.
Certa per extentos ponit veſtigia funes,
Et coeli meditatus iter veſtigia perdet.

Vt Manilius funambulum *coeli iter meditari* dicit, ſic Sympoſius eum vocat aëris viatorem, *Aëra*, inquiens, *per medium doctâ volat arte viator.* BARTHIVS *Aduerſ. lib. V. cap. 19. p. 247.*

XCIV. Hoc aenigma ſic interpretor: *Octo tenes* ſingulis *manibus*, hoc modo: , VIII. *Sed me monſtrante magiſtro ſublatis ſeptem* digitis, non vnitatibus per notas numericas ad Romanorum morem expreſſis, *reliqui tibi ſex remanebunt*, non digiti quidem, ſed vnitates tribus digitis notatae hoc modo . GESNERVS.

XCIV. *DE VIII.*] Quod ad aenigma illud attinet de VIII. vbi demtis VII. manebunt ſex, exponam, quod mihi in men-

tem venit, non quod acu rem tetigiſſe me putem, ſed vt experiar ingenii vires. Sume tibi octo canes, inter quas vna quinque catulos vtero gerit. Tolle ſeptem, & manebunt tibi ſex. Vel ſume tibi octo lilia: abiice ſeptem, & manebunt ſex liliorum folia. Idem applicari poteſt omnibus rebus, quae ſex partibus continentur, v. g. ſume octo nummos illius monetae, quarum ſex conficiunt imperialem, & quae ſex conſtat groſſis a Diua Virgine dictis, Marien-Groſchen. Si ſuſtuleris ſeptem tales nummos, ſex (ſcilicet groſſi Mariani) remanebunt. HASAEVS.

XCV. 1. *de fraude*] Exemplis plurimis docebimus, τὸ *de* huic generi ſcriptorum abundare. Sympoſius in Praefatione: *Hos verſus feci ſubito de carmine vocis.* Nemeſianus ecloga 2: *Quod non tam tenui filo de voce ſonaret.* Arnobius libro quinto: *Illos more de ſolito bibendi appetitione correptos.* Idem libro ſexto: *Vt olim feſſi canes linguam ore de patulo pituitate proiiciens.* Iulius Firmicus de err. prof. relig. *Illic cum armata ſubmerſus virgine, miſerandae matri de morte filiae funeſtum praebuit ſpectaculum.* Prudentius Hamartigenia. Idem Apotheoſi:

Pubertas ſignata manet grauis intus & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica.

Gellius lib. III. cap. 3: *Probra in principes ciui-*

ciuitatis de Graecorum poëtarum more dicta. Apuleius Dogmate Platonis: *Tantosque progreſſus exercitatio illi contulit, vt Iſthmia & Pythia de luctu certauerit.* Optatus Afer lib. II: *Vobis perfectam ſanctitatem de ſuperbia vindicatis.* Fl. Marcellinus, Praeſes Collationis Carthaginenſis: *Vellem quidem, quod & omni de votorum intentione nunc cupio.* Cyprianus Geneſi: *Quod rigat immites liquidis de fluctibus ornos.* Ibidem: *Opperiens nudos calidis de veſtibus artus.* Vltimo aeuo Alcuinus:

Ecce tuis parui votis, venerande ſacerdos,
Cor quia de vero feruet amore mihi.

Etiam legitimos Latinitatis principes, Lucretium, Catullum, Papinium, ita locutos, ad Claudianum dudum notamus. BARTHIVS *lib. XVII. Aduerſ. cap. 17. p. 884. & 885.*

1. *latentes*] Pithoeus: *latentis;* & mox rectius: *nobis haec munera formae.* CASTALIO.

XCVII. 1. *figuras*] Id eſt, imagines. CASTALIO.

3. *niſi qui*] Adde *ſua. Niſi qui ſua.* CASTALIO.

XCVIII. 1. *poſt vltima ſaxa relinquo*] Iuuenalis ſat. 10: *Tituliqne cupido Haeſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.* Sed Pithoei codex

dex *fata remanſi* melius: niſi ſi *relinquor* legas. CASTALIO.

poſt vltima] Laudat hunc verſum, ex membranis procul dubio ſuis, Salmaſius Plin. Exercit. p. 858: *Nomen habens hominis poſt vltima fata relinquor.* GESNERVS.

XCIX. 3. *mordeo terras*] Sic fibula *mordere* dicitur apud Vergilium. Et ſupra (*v. 1.*) *vno* pro *vnco* Pithoeus edidit: cui etiam ſequens aenigma acceptum referimus, centeſimum numero, cui titulus LAGENA. Extrema vero vox *diuiſit* omnino deprauata eſt. Quid ſi legas: *mater mea, vt ante reuiſit?* Vnde factum inepte *diuiſit.* CASTALIO.

C. *LAGENA.*] Hoc aenigma in codice Caſtalionis, & antiqua Pariſienſi editione, quam nos vidimus, non comparuit. BESSELIVS.

3. *mater mea me ante diuiſit*] Claudicat hic metrum, cum prima ſyllaba vocis poſtremae ſit longa. Senſus etiam hiat. Quomodo enim lagena a matre ſua, hoc eſt, terra, *diuiſa ante* dici poteſt, quàm in terram caderet? Puto itaque, auctorem ſic ſcripſiſſe: *Dum cecidi infelix mater mea me diuiſit*: vt claudatur verſus duplici ſpondaeo, quod poëtis frequentiſſimum eſſe, quis ignorat? Id vero cum ignoraret

ret ineptus deſcriptor, voluit verſum emendare, inſeruitque *τὸ ante*, metri ratione & ſenſu plane poſthabita. Si autem voculam *ante* rurſus elimines, ſenſus planus eſt & plenus. Scilicet dum cecidit lagena in terram, mater eius, hoc eſt, terra eam comminuit, atque in varias partes diuiſit, id eſt, fregit.

HASAEVS.

I. INDEX
AENIGMATVM SYMPOSII.

Acetum ex vino. 81.
Acus. 55.
Ancora. 99.
Annulus cum gemma. 3.
Aranea. 17.
Arundo. 2.
Balneum. 87.
Beta. 42.
Caliga. 56.
Calx 74.
Capillus. 58.
Capra. 35.
Catena. 5.
Centaurus. 39.
Cepa. 44.
Clauis. 4.
Clauus caligaris. 57.
Clepſydra. 69.
Cochlea. 18.
Conditum. 80.
Cornicula. 27.
Cucurbita. 43.
Curculio. 24.
Ebur. 49.
Echo. 96.
Ericius. 29.
Farina. 52.
Flagellum. 65.
Flumen & piſcis. 11.
Foenum. 50.
Formica. 22.
Fumus. 7.
Funambulus. 93.
Glacies. 10.
Graphium. 1.
Grus. 26.
Hamus. 54.
Lagena. 100.
Lapis. 73.
Laterna. 66.
Lilium. 46.
Linum. 56.
Lupus. 33.
Luſcus. 92.
Malleus. 84.
Malua. 41.
Malum. 82.
Miles podagricus. 91.
Mola. 51.

Monu-

Monumentum. 98.
Mula. 37.
Mulier geminos pariens. 90.
Mus. 25.
Muſca. 23.
Myrrha. 48.
Nauis. 13.
Nebula. 8.
Nix. 12.
Olla. 100.
Papauer. 40.
Pecunia. 89.
Pediculi. 30.
Perna. 83.
Phoenix. 31.
Pila. 59.
Piſtillus. 85.
Pluuia. 9.
Pons. 61.
Porcus. 36.
Pullus in ouo. 14.
Puteus. 70.
Rana. 19.
Roſa. 45.
Rota. 76.
Sagitta. 64.
Scala. 77.
Scopa. 78.
Serra. 60.
Silex. 75.
Somnus. 97.
Specular. 67.
Speculum. 68.
Spongia. 62.
Strigilis. 86.
Talpa. 21.
Taurus. 32.
Tegula. 6.
Teſſera. 88.
Teſtudo. 20.
Tus. 47.
Tigris. 38.
Tinea. 16.
Tintinnabulum. 79.
Tridens. 63.
Tubus. 71.
Veſpertilio. 28.
Vipera. 15.
Vitis. 53.
Vmbra. 95.
Vter. 72.
Vulpes. 34.

II. INDEX
RERVM ET VERBORVM.

Notae numerales maiores referuntur ad AEnigmata : *P.* ſignificat *Prologum* ſiue Praefationem Lactantii.

Aduncus. LIV. 1.
aequalis, id eſt, coaetaneus. LXXVI. 1.
aeſtatis vox latius accepta. XII. 2.
albus pro *canus.* LVIII. 2.
almus, id eſt, nutriens. XXXV. 1.
annuus, id eſt, anniuerſarius. P. 3.
aptus, participium ab antiquo *apere.* LXVI. 1.
auricula, id eſt, anſa ollae. C. 2.
Calcare mare. X. 3.
caetera corporis. LXXXV. 3.
Catonis familia. LXXXIII. 1.
certare alicui. LXXXIV. 2.
certus futuri. LXXXVIII. 1.
claui caligares. LVII. 1.
cogere obſequio, pro *ad obſequium.* LXV. 2.
comere capillos. LIX. 1.
comitari cum datiuo. LV. 2.
comprendere manu. LXXVIII. 2.
conditum quid ſit. LXXX. 1.
confuſus, id eſt, permixtus. XXXVII. 2.
conuicium, id eſt, clamor. XXVII. 3.
copia, id eſt, luxuria. XCI. 3.
cor, id eſt, ſapientia. XXXIV. 1.

corni-

cornicum vita longa. XXVII. 1.
curculio, vermis. XXIV. 1.
currere naues dicuntur. XIII. 3.
Datiuus *ei* pro *ad eum*. LXV. 2.
de abundat in ſtylo Africano. P. 12.
de carmine, Verßweiſe. P. 9.
delirare quis proprie dicatur. P. 6.
eſt vox origine Graeca. P. 6.
depaſci aliquid. LX. 2.
deſidere. XXVIII. 3.
Ex arte. LXXVI. 1.
exul in genere feminino. XVIII. 2.
Falſus ventus flabelli. XXIII. 3.
f & p ſubinde permutant librarii. XV. 3. & LXXXII. 2.
ferendo oneri eſſe. LXXXVII. 2.
feſta tempora. P. 3.
fico quid ſit. LVI. 1,
flexus. LIV. 1.
foede, id eſt, turpiter. P. 13.
frenos linguae iniicere. LXIX. 2.
friuolus, id eſt, ſtolidus. P. 10.
frondicomus. LX. 2.
fundere lacrymas. VII. 1.
fungi munus. I. 2.
Gemma, id eſt, annulus ſignatorius. III. 1.
Graecorum hiſtoricorum fides. XXVII. 1.
graphium. I. 1.
gruum & Pygmaeorum pugna. XXVI. 2.
volatus literatus. XXVI. 1.

Hic de remotiori. LI. 3.
honor arborum. XLVIII. 3.
Iacere de ſitu vrbium. XCIII. 1.
ille de propiori. LI. 3.
inanis, id eſt, anima deſtitutus. XCVIII. 2.
incertus futuri. LXXXVIII. 1.
inſtar, ſubſtantiuum. P. 11. & LXVI. 2.
Lactantius an ſit auctor Epigrammatum Sympoſii. P. 1.
an ſit auctor carminis de Phoenice. XXXI. 1.
late, id eſt, longe lateque. P. 7.
laterna. LXVI. 1.
laus ſui ipſius. XIX. 2.
licia. XVII. 2.
lippis & tonſoribus notum eſt, adagium. LXXXIII. 3.
literatus volatus gruum. XXVI. 1.
ludere poëtarum proprium. P. 1.
lucifer. XCIII. 1.
lupo priore hominem vidente homo obmuteſcere creditur. XXXIII. 3.
luſus, id eſt, poëma. P. 1.
Madidus, id eſt, ebrius. P. 7.
magiſtra vrbs. P. 2.
magni viri paruae ſtaturae. XXXIV. 1.
mare caſu ſexto. LXXXIII. 3.
marita arbor. LIII. 3.
meare. XCIII. 2.
μῆλον ſignificat *malum* & *ouem*. LXXXII. 1.
meritum peccandi. XLVII. 3.

mihi abundat XLVI. 2.
miniſtri digiti. II. 3.
mittere pro *emittere*. LXIV. 3.
morſus ancorae. XCIX. 3.
mundus, id eſt, mundities. LXXVIII. 1.
Mures clariſſimi. XXV. 2.
Naſci ab aliquo. XXXVI. 1,
nomen longum perſonae breuis. XXIV. 2.
Orcus, id eſt, Pluto deus. XXXVI. 3.
P & f ſubinde permutant librarii. XV. 3. & LXXXII. 2.
Pan fiſtulae paſtoritiae inuentor. II. 1.
parare pro *emere*. LXXXIX. 3.
pariter prope. LXXVI. 3.
pedum quinque ſtatura. XCI. 2.
peplus. XVII. 2.
perpetuus, id eſt, non interruptus. P. 4.
Petrus *Comeſtor* vnde appellatus. XVI. 3.
piger labori. XXII. 1.
pilax, id eſt, felis. XXV. 2.
pomum Eridos, adagium. LXXXII. 1.
ponere quaeſtionem, id eſt, eam alicui proponere ſoluendam. P. 12.
praecludere fores. IV. 2.
praecidere gramen. L. 2.
procul terrâ. LXX. 1.
producere, id eſt, prolongare. LV. 1.
prouidus vitae. XXII. 1.
Pygmaeorum & gruum pugna. XXVI. 2.
 breuis ſtatura. XXVI. 3.
Quandoque, id eſt, aliquando. LVIII. 2.

quiſquam in genere feminino. XXXVII. 3.
Radii telae. XVII. 2.
rauca ſonans. XIX. 1.
robur pro *arbore*. LXI. 2.
robur virtutis. LXXXV. 1.
Sapientia, id eſt, ſapor. LXXXIII. 3.
Saturnalia. P. 3.
Seges telorum. XXIX. 3.
Sicca, vrbs Africae. P. 2.
ſpecula aerea. LXVIII. 2.
ſpecularis lapis. LXVII. 1.
ſpiritus, id eſt, odor. XLVI. 3.
ſtatura militaris. XCI. 2.
ſtipare aliquem. XIII. 2.
ſtrepere de tumultuoſo ſermone. P. 7.
ſtudioſus, id eſt, doctus. XVI. 2.
ſubitum carmen, id eſt, extemporale. P. 15.
ſufficit pedibus ſemita. XCIII. 3.
ſumere pro *abſumere*. XXIV. 3.
Sympoſii Epigrammata an Lactantium habeant auctorem. P. 1.
Tenax laqueus. LXXVIII. 1.
Tigris fluuius vnde dicatur. XXXVIII. 1.
Vento grauida animalia. XXXVIII. 1.
verboſus, id eſt, garrulus. P. 8.
verſus ſpondaici. C. 3.
viciſſim, id eſt, per vices. P. 12. & XXII. 3.
vincula, id eſt, fila. LV. 2.
vipera quomodo naſcatur. XV. 1.
viuere de rebus inanimatis. LVI. 1.
vorare literas. XVI. 3.

APPEN-

APPENDIX BIPARTITA.

I.

C. A. HEVMANNI DISSERTATIVNCVLA CONTRA NIC. NVRRIVM, LIBRVM *DE MORTIBVS PERSECVTORVM* LACTANTIO ABIVDICANTEM.

I.

QVanto exceptus plauſu fuerit liber *de mortibus perſecutorum* a Baluzio ſuperiore ſaeculo e longi temporis tenebris feliciter erutus, quantaque concordia quicquid eſt eruditorum, ipſi aſſenſerit, eſſe illum ipſum librum Lactantii, quem in *catalogo* ſuo *ſcriptorum eccleſiaſticorum* commemorauit Hieronymus, conſtat inter omnes. Etſi enim nollent iſtam ſententiam praefracte defendere Io. Columbus & Paulus Baldrius, vterque in ſua ad hunc ipſum libellum praefatione; tamen cum fateantur, leuiores ſibi occurriſſe dubitandi cauſas, multo vero grauioribus niti rationibus aientem ſententiam, tantum abeſt, vt ea re Baluziana ſententia infirmetur, vt potius inde eluceat, doctos illos viros nequa-

nequaquam praecipiti credulitate Baluzio ſubſcripſiſſe, ſed rite expenſa ſeuereque examinata communi tot eruditorum ſententia nihil inuenire potuiſſe, quod adducere ipſos valeret ad eam repudiandam. Ac ſane ea tam firmis nitebatur luculentisque argumentis, nemo vt in media luce caligare poſſet, niſi forte mentis in his literis non ſatis exercitatae imbecillitas, vel commodum aliquod inſigne quenquam ageret in transuerſum, & ſolem negare in meridie cogeret. Eſt enim is multorum mos, vt veritatem metiantur commodis ſuis, adeoque quicquid ipſorum rationibus aduerſari videtur, pro falſo, quod prodeſſe ipſis exiſtimatur, pro vero venditent.

II.

Hac de cauſa ſaepenumero miratus ſum, cum viderem, neminem e Catholico eruditorum coetu prodire, qui aduerſarium ſeſe opponeret illi omnium calculis approbatae opinioni, qua liber iſte Lactantio tribuitur auctori: cum profecto multa inſint in hoc libello, quae a Lactantio dicta doctaque eſſe facile doleant, qui bona fide ſequuntur caſtra pontificia. Imo miratus ſum ac magnopere collaudaui Bâluzii candorem, qui non dubitarit in lucem producere hunc Lactantii librum

brum, e quo tela haud obtuſa contra Romam petituros eſſe Proteſtantes, facile praeuidebat. Ac merito Dodwellus (a) ex editione huius libri concludebat, Baluzium fuiſſe *virum candidum*, *veritatis amantem, alienum a partium ſtudiis atque praeiudiciis. Aliter*, inquit, *foret*, *vt lucem fortaſſe nunquam expertus* (hic liber) *aeternum latuiſſet*, *in ipſo partu vel ſuppreſſus vel etiam forte penitus exſtinctus.* Sed nimirum ea vis eſt veritatis, clara luce effulgentis, vt vel nolentes ſibi conciliet. Vnde & Ruinartus in doctiſſima ſua ad *Acta martyrum* praefatione & Tillemontius *T. VI. Comment. Hiſt. eccl.* ſecure Lactantio hunc librum tribuunt, nec quicquam proferunt, ex quo colligi queat, ipſorum animos ſubiiſſe vllam ea de re dubitationem.

III.

Tandem rupit ſilentium Nicolaus Nurrius, Benedictini ordinis presbyter Pariſinus, & A. 1710. Diſſertationem edidit, in qua doctrinae ſuae haud ſane vulgaris omnes intendit neruos, vt perpulchrum huncce libellum Lactantio eriperet, eademque operâ Proteſtantium Theologis petita inde tela extorqueret de manibus. Nec dubito, pleriſque ſuae Eccleſiae

(a) Diſſert. Cyprian. XI. §. 65.

cleſiae gratum feciſſe Nurrium, ac magnum eſſe eorum numerum, qui de triumpho ſcilicet iſto ipſi cupidiſſime gratulentur. Certe Baltus Ieſuita non obſtante ea, quae inter Benedictini & Ieſuitici ordinis monachos intercedit, aemulatione Nurrianam amplexus eſt ſententiam in ſuo *de philoſophia ethnicorum morali* (b) opere: vt nouo hoc experimento conſtet, quos aemulatio multum diſiunxit, eos communem utilitatem communemque aduerſarium facile facere concordiſſimos.

IV.

Illa vero Nurrio inuidenda eſt felicitas, quod vnum ac alterum Proteſtantium fefellit monachi conſilium, iique adeo credentes, ſincera fide agere Nurrium & ſolo veritatis ſtudio victum Baluzio contradicere, non ſatis attente ipſius argumenta conſiderarunt, atque alia inter negotia, quibus diſtricti eruditi pleroſque libros nimis perfunctorie perluſtrant, Nurrianarum probationum ſtrepitu glaucoma ſibi paſſi ſunt obiici. Quos inter maiorem in modum miratus ſum fuiſſe Io. Clericum, virum alioqui naris emunctiſſimae, qui cum in *Bibliotheca* ſua *nouantiqua T. III.* A. 1715. Nurrii libellum ſuis exhi-

(b) Lib. II. cap. XI. p. 265.

exhiberet lectoribus, magnifico Nurrianorum argumentorum apparatu occupatus, ita praeſtringi ſibi paſſus eſt oculorum aciem, vt ſuam monacho credulitatem addiceret, eiusque Sententiae p. 435, 437. & 438. praecipiti ἐπικρίσει ſubſcriberet. Etiam ante Clericum nouitas Nurrianae opinionis adeo ſe gratioſam fecerat Celeb. Pfaffio, vt perimbecilli innixus fulcro eam faceret ſuam, idque profiteri non dubitaret in doctiſſima praefatione, quam Epitomae Lactantianae *Inſtitutionum diuinarum*, primum, ab ſe e bibliotheca Taurinenſi Pariſiis A. 1712. euulgatae, praemiſit, §. XI. Adiungo duumuiris his Cl. Walchium, qui & ipſe in ſuis ad nouiſſimam Lactantii operum editionem Prolegomenis *cap. V. p. 38.* dubitauit, an liber ille ſit genuinus Lactantii foetus.

V.

Nec tamen defuerunt, qui veritatis ſuſcepto patrocinio Nurrianas argutias erudito ſtylo diluerent, ſuumque redderent Baluzianae ſententiae ſeu potius veritati nitorem. Certe non multo poſt, quam Nurrius Lactantio librum iſtum abiudicare auſus eſt, Anonymus quidam (Celeb. Crozium eſſe ferunt,) edita ſingulari diſſertatione, quae *Diario*, titulum

Journal literaire gerenti, inſerta (c) eſt, confutauit Nurrium, Baluzianamque ſententiam ſtrenue aſſeruit. Ex eo tempore Franciſcus Pagius, Franciſcani ordinis monachus, in ſuo *Breuiario hiſtorico-critico* An. 1717. edito libellum iſtum *de mortibus perſecutorum* ſub Lactantii nomine laudauit, & eo quidem loco, vbi meminit, vulgarem opinionem, qua Petrus Claudio Imp. Romam veniſſe perhibetur, ex illo libello refutari poſſe. Ex quo patet, Pagium ne commodi quidem ſpecie (inueteratarum enim fabularum defenſio non vtilis ſolum, ſed etiam pia vulgo videtur,) adduci potuiſſe, vt librum hunc Lactantii eſſe negaret, ſed veritati clariſſime ſplendenti locum generoſe reliquiſſe. Non ita pridem etiam (d) Fabricius, doctiſſimus ille reip. literariae bibliothecarius, miratus eſt, eſſe, qui diuerſum ſentiant cum Nurrio, cui quippe aduerſentur argumenta longe luculentiſſima.

VI.

Caeterum cum primus omnium videar ratiunculas Nurrianas publice expendiſſe earumque leuitatem coarguiſſe, meam illam ἐπίκρισιν hic loci repetere non alie-

(c) Tomo VII. P. I. art. I.
(d) Annot. g. ad Hieron. Catal. cap. 80.

alienum duco. Illud ante obſervatum volo, eodem fato conflictatum fuiſſe vtrumque Lactantii libellum. Nam vti *Sympoſium* eius titulum ſuum breui amiſit, atque alium habere auctorem creditum eſt; ſic & ille *de mortibus perſecutorum* liber exiguo temporis ſpatio eruditorum oculis ſubductus, ac tenebris illis ſepultus fuit, e quibus eum tandem protraxit Baluzius. Id, quod dixi, facile probat locus quidam Sulpicii Seueri. Is enim *lib. II. Hiſtoriae ſacrae cap. 29. n. 6.* de Nerone: *Creditur*, inquit, *etiamſi ſe gladio ipſe transfixerit, curato vulnere eius ſeruatus, ſecundum illud, quod de eo ſcriptum eſt:* Et plaga mortis eius curata eſt; *ſub ſaeculi fine mittendus, vt* (tanquam prodromus Antichriſti) *myſterium iniquitatis exerceat.* Hoc ſane Sulpicius haud erat ſcripturus, ſi haec Lactantii verba legiſſet capite ſecundo libri *de mort. perſec. n. 8: Quidam DELIRI credunt, Neronem eſſe viuum reſeruatum, vt antichriſti praecedat aduentum.* Nec, ſi id legiſſet, repetiturus iſtud delirium fuiſſet *Dial. II. cap. 14.*

VII.

Sed redeo ad Nurrium, cuius cum librum recenſerem An. 1711. in *Actis Eruditorum p. 470. ſqq.* eius argumenta, quibus pugnat, librum *de mortibus perſecutorum* non eſſe

I. INDEX
AENIGMATVM SYMPOSII.

ACetum ex vino. 81.
Acus. 55.
Ancora. 99.
Annulus cum gemma. 3.
Aranea. 17.
Arundo. 2.
Balneum. 87.
Beta. 42.
Caliga. 56.
Calx 74.
Capillus. 58.
Capra. 35.
Catena. 5.
Centaurus. 39.
Cepa. 44.
Clauis. 4.
Clauus caligaris. 57.
Clepſydra. 69.
Cochlea. 18.
Conditum. 80.
Cornicula. 27.
Cucurbita. 43.
Curculio. 24.
Ebur. 49.
Echo. 96.
Ericius. 29.
Farina. 52.
Flagellum. 65.
Flumen & piſcis. 11.
Foenum. 50.
Formica. 22.
Fumus. 7.
Funambulus. 93.
Glacies. 10.
Graphium. 1.
Grus. 26.
Hamus. 54.
Lagena. 100.
Lapis. 73.
Laterna. 66.
Lilium. 46.
Linum. 56.
Lupus. 33.
Luſcus. 92.
Malleus. 84.
Malua. 41.
Malum. 82.
Miles podagricus. 91.
Mola. 51.

Monu-

Monumentum. 98.
Mula. 37.
Mulier geminos pariens. 90.
Mus. 25.
Muſca. 23.
Myrrha. 48.
Nauis 13.
Nebula 8.
Nix. 12.
Olla. 100.
Papauer. 40.
Pecunia. 89.
Pediculi. 30.
Perna. 83.
Phoenix. 31.
Pila. 59.
Piſtillus. 85.
Pluuia. 9.
Pons. 61.
Porcus. 36.
Pullus in ouo. 14.
Puteus. 70.
Rana. 19.
Roſa. 45.
Rota. 76.
Sagitta. 64.
Scala. 77.
Scopa. 78.
Serra. 60.
Silex. 75.
Somnus. 97.
Specular. 67.
Speculum. 68.
Spongia. 62.
Strigilis. 86.
Talpa. 21.
Taurus. 32.
Tegula. 6.
Teſſera. 88.
Teſtudo. 20.
Tus. 47.
Tigris. 38.
Tinea. 16.
Tintinnabulum. 79.
Tridens. 63.
Tubus. 71.
Veſpertilio. 28.
Vipera. 15.
Vitis. 53.
Vmbra. 95.
Vter. 72.
Vulpes. 34.

II. INDEX
RERVM ET VERBORVM.

Notae numerales maiores referuntur ad AEnigmata: *P.* ſignificat *Prologum* ſiue Praefationem Lactantii.

Aduncus. LIV. 1.
aequalis, id eſt, coaetaneus. LXXVI. 1.
aeſtatis vox latius accepta. XII. 2.
albus pro *canus*. LVIII. 2.
almus, id eſt, nutriens. XXXV. 1.
annuus, id eſt, anniuerſarius. P. 3.
aptus, participium ab antiquo *apere*. LXVI. 1.
auricula, id eſt, anſa ollae. C. 2.
Calcare mare. X. 3.
caetera corporis. LXXXV. 3.
Catonis familia. LXXXIII. 1.
certare alicui. LXXXIV. 2.
certus futuri. LXXXVIII. 1.
claui caligares. LVII. 1.
cogere obſequio, pro *ad obſequium*. LXV. 2.
comere capillos. LIX. 1.
comitari cum datiuo. LV. 2.
comprendere manu. LXXVIII. 2.
conditum quid ſit. LXXX. 1.
confuſus, id eſt, permixtus. XXXVII. 2.
conuicium, id eſt, clamor. XXVII. 3.
copia, id eſt, luxuria. XCI. 3.
cor, id eſt, ſapientia. XXXIV. 1.

corni-

cornicum vita longa. XXVII. 1.
curculio, vermis. XXIV. 1.
currere naues dicuntur. XIII. 3.
Datiuus *ei* pro *ad eum*. LXV. 2.
de abundat in ſtylo Africano. P. 12.
de carmine, Verſweiſe. P. 9.
delirare quis proprie dicatur. P. 6.
eſt vox origine Graeca. P. 6.
depaſci aliquid. LX. 2.
deſidere. XXVIII. 3.
Ex arte. LXXVI. 1.
exul in genere feminino. XVIII. 2.
Falſus ventus flabelli. XXIII. 3.
f & p ſubinde permutant librarii. XV. 3. & LXXXII. 2.
ferendo oneri eſſe. LXXXVII. 2.
feſta tempora. P. 3.
fico quid ſit. LVI. 1,
flexus. LIV. 1.
foede, id eſt, turpiter. P. 13.
frenos linguae iniicere. LXIX. 2.
friuolus, id eſt, ſtolidus. P. 10.
frondicomus. LX. 2.
fundere lacrymas. VII. 1.
fungi munus. I. 2.
Gemma, id eſt, annulus ſignatorius. III. 1.
Graecorum hiſtoricorum fides. XXVII. 1.
graphium. I. 1.
gruum & Pygmaeorum pugna. XXVI. 2.
volatus literatus. XXVI. 1.

Hic de remotiori. LI. 3.
honor arborum. XLVIII. 3.
Iacere de ſitu vrbium. XCIII. 1.
ille de propiori. LI. 3.
inanis, id eſt, anima deſtitutus. XCVIII. 2.
incertus futuri. LXXXVIII. 1.
inſtar, ſubſtantiuum. P. 11. & LXVI. 2.
Lactantius an ſit auctor Epigrammatum Sympoſii. P. 1.
an ſit auctor carminis de Phoenice. XXXI. 1.
late, id eſt, longe lateque. P. 7.
laterna. LXVI. 1.
laus ſui ipſius. XIX. 2.
licia. XVII. 2.
lippis & tonſoribus notum eſt, adagium. LXXXIII. 3.
literatus volatus gruum. XXVI. 1.
ludere poëtarum proprium. P. 1.
lucifer. XCIII. 1.
lupo priore hominem vidente homo obmuteſcere creditur. XXXIII. 3.
luſus, id eſt, poëma. P. 1.
Madidus, id eſt, ebrius. P. 7.
magiſtra vrbs. P. 2.
magni viri paruae ſtaturae. XXXIV. 1.
mare caſu ſexto. LXXXIII. 3.
marita arbor. LIII. 3.
meare. XCIII. 2.
μῆλον ſignificat *malum* & *ouem*. LXXXII. 1.
meritum peccandi. XLVII. 3.

mihi abundat XLVI. 2.
miniſtri digiti. II. 3.
mittere pro *emittere*. LXIV. 3.
morſus ancorae. XCIX. 3.
mundus, id eſt, mundities. LXXVIII. 1.
Mures clariſſimi. XXV. 2.
Naſci ab aliquo. XXXVI. 1,
nomen longum perſonae breuis. XXIV. 2.
Orcus, id eſt, Pluto deus. XXXVI. 3.
P & f ſubinde permutant librarii. XV. 3. & LXXXII. 2.
Pan fiſtulae paſtoritiae inuentor. II. 1.
parare pro *emere*. LXXXIX. 3.
pariter prope. LXXVI. 3.
pedum quinque ſtatura. XCI. 2.
peplus. XVII. 2.
perpetuus, id eſt, non interruptus. P. 4.
Petrus *Comeſtor* vnde appellatus. XVI. 3.
piger labori. XXII. 1.
pilax, id eſt, felis. XXV. 2.
pomum Eridos, adagium. LXXXII. 1.
ponere quaeſtionem, id eſt, eam alicui proponere ſoluendam. P. 12.
praecludere fores. IV. 2.
praecidere gramen. L. 2.
procul terrâ. LXX. 1.
producere, id eſt, prolongare. LV. 1.
prouidus vitae. XXII. 1.
Pygmaeorum & gruum pugna. XXVI. 2.
breuis ſtatura. XXVI. 3.
Quandoque, id eſt, aliquando. LVIII. 2.

quiſquam in genere feminino. XXXVII. 3.
Radii telae. XVII. 2.
rauca ſonans. XIX. 1.
robur pro *arbore*. LXI. 2.
robur virtutis. LXXXV. 1.
Sapientia, id eſt, ſapor. LXXXIII. 3.
Saturnalia. P. 3.
Seges telorum. XXIX. 3.
Sicca, vrbs Africae. P. 2.
ſpecula aerea. LXVIII. 2.
ſpecularis lapis. LXVII. 1.
ſpiritus, id eſt, odor. XLVI. 3.
ſtatura militaris. XCI. 2.
ſtipare aliquem. XIII. 2.
ſtrepere de tumultuoſo ſermone. P. 7.
ſtudioſus, id eſt, doctus. XVI. 2.
ſubitum carmen, id eſt, extemporale. P. 15.
ſufficit pedibus ſemita. XCIII. 3.
ſumere pro *abſumere*. XXIV. 3.
Sympoſii Epigrammata an Lactantium habeant auctorem. P. 1.
Tenax laqueus. LXXVIII. 1.
Tigris fluuius vnde dicatur. XXXVIII. 1.
Vento grauida animalia. XXXVIII. 1.
verboſus, id eſt, garrulus. P. 8.
verſus ſpondaici. C. 3.
viciſſim, id eſt, per vices. P. 12. & XXII. 3.
vincula, id eſt, fila. LV. 2.
vipera quomodo naſcatur. XV. 1.
viuere de rebus inanimatis. LVI. 1.
vorare literas. XVI. 3.

APPEN-

APPENDIX BIPARTITA.

I.

C. A. HEVMANNI DISSERTATIVNCVLA CONTRA NIC. NVRRIVM, LIBRVM *DE MORTIBVS PERSECVTORVM* LACTANTIO ABIVDICANTEM.

I.

QVanto exceptus plauſu fuerit liber *de mortibus perſecutorum* a Baluzio ſuperiore ſaeculo e longi temporis tenebris feliciter erutus, quantaque concordia quicquid eſt eruditorum, ipſi aſſenſerit, eſſe illum ipſum librum Lactantii, quem in *catalogo* ſuo *ſcriptorum eccleſiaſticorum* commemorauit Hieronymus, conſtat inter omnes. Etſi enim nollent iſtam ſententiam praefracte defendere Io. Columbus & Paulus Bauldrius, vterque in ſua ad hunc ipſum libellum praefatione; tamen cum fateantur, leuiores ſibi occurriſſe dubitandi cauſas, multo vero grauioribus niti rationibus aientem ſententiam, tantum abeſt, vt ea re Baluziana ſententia infirmetur, vt potius inde eluceat, doctos illos viros nequa-

nequaquam praecipiti credulitate Baluzio ſubſcripſiſſe, ſed rite expenſa ſeuereque examinata communi tot eruditorum ſententia nihil inuenire potuiſſe, quod adducere ipſos valeret ad eam repudiandam. Ac ſane ea tam firmis nitebatur luculentisque argumentis, nemo vt in media luce caligare poſſet, niſi forte mentis in his literis non ſatis exercitatae imbecillitas, vel commodum aliquod inſigne quenquam ageret in transuerſum, & ſolem negare in meridie cogeret. Eſt enim is multorum mos, vt veritatem metiantur commodis ſuis, adeoque quicquid ipſorum rationibus aduerſari videtur, pro falſo, quod prodeſſe ipſis exiſtimatur, pro vero venditent.

II.

Hac de cauſa ſaepenumero miratus ſum, cum viderem, neminem e Catholico eruditorum coetu prodire, qui aduerſarium ſeſe opponeret illi omnium calculis approbatae opinioni, qua liber iſte Lactantio tribuitur auctori: cum profecto multa inſint in hoc libello, quae a Lactantio dicta doctaque eſſe facile doleant, qui bona fide ſequuntur caſtra pontificia. Imo miratus ſum ac magnopere collaudaui Bâluzii candorem, qui non dubitarit in lucem producere hunc Lactantii librum

brum, e quo tela haud obtuſa contra Romam petituros eſſe Proteſtantes, facile praeuidebat. Ac merito Dodwellus (a) ex editione huius libri concludebat, Baluzium fuiſſe *virum candidum*, *veritatis amantem, alienum a partium ſtudiis atque praeiudiciis. Aliter*, inquit, *foret*, *vt lucem fortaſſe nunquam expertus* (hic liber) *aeternum latuiſſet*, *in ipſo partu vel ſuppreſſus vel etiam forte penitus exſtinctus.* Sed nimirum ea vis eſt veritatis, clara luce effulgentis, vt vel nolentes ſibi conciliet. Vnde & Ruinartus in doctiſſima ſua ad *Acta martyrum* praefatione & Tillemontius *T. VI. Comment. Hiſt. eccl.* ſecure Lactantio hunc librum tribuunt, nec quicquam proferunt, ex quo colligi queat, ipſorum animos ſubiiſſe vllam ea de re dubitationem.

III.

Tandem rupit ſilentium Nicolaus Nurrius, Benedictini ordinis presbyter Pariſinus, & A. 1710. Diſſertationem edidit, in qua doctrinae ſuae haud ſane vulgaris omnes intendit neruos, vt perpulchrum huncce libellum Lactantio eriperet, eademque operâ Proteſtantium Theologis petita inde tela extorqueret de manibus. Nec dubito, plerisque ſuae Ec-

cleſiae

(a) Diſſert. Cyprian. XI. §. 65.

cleſiae gratum feciſſe Nurrium, ac magnum eſſe eorum numerum, qui de triumpho ſcilicet iſto ipſi cupidiſſime gratulentur. Certe Baltus Ieſuita non obſtante ea, quae inter Benedictini & Ieſuitici ordinis monachos intercedit, aemulatione Nurrianam amplexus eſt ſententiam in ſuo *de philoſophia ethnicorum morali* (b) opere: vt nouo hoc experimento conſtet, quos aemulatio multum diſiunxit, eos communem vtilitatem communemque aduerſarium facile facere concordiſſimos.

IV.

Illa vero Nurrio inuidenda eſt felicitas, quod vnum ac alterum Proteſtantium fefellit monachi conſilium, iique adeo credentes, ſincera fide agere Nurrium & ſolo veritatis ſtudio victum Baluzio contradicere, non ſatis attente ipſius argumenta conſiderarunt, atque alia inter negotia, quibus diſtricti eruditi plerosque libros nimis perfunctorie perluſtrant, Nurrianarum probationum ſtrepitu glaucoma ſibi paſſi ſunt obiici. Quos inter maiorem in modum miratus ſum fuiſſe Io. Clericum, virum alioqui naris emunctiſſimae, qui cum in *Bibliotheca* ſua *nouantiqua T. III.* A. 1715. Nurrii libellum ſuis exhi-

(b) Lib. II. cap. XI. p. 265.

exhiberet lectoribus, magnifico Nurrianorum argumentorum apparatu occupatus, ita praeſtringi ſibi paſſus eſt oculorum aciem, vt ſuam monacho credulitatem addiceret, eiusque Sententiae p. 435, 437. & 438. praecipiti ἐπικρίσει ſubſcriberet. Etiam ante Clericum nouitas Nurrianae opinionis adeo ſe gratioſam fecerat Celeb. Pfaffio, vt perimbecilli innixus fulcro eam faceret ſuam, idque profiteri non dubitaret in doctiſſima praefatione, quam Epitomae Lactantianae *Inſtitutionum diuinarum*, primum, ab ſe e bibliotheca Taurinenſi Pariſiis A. 1712. euulgatae, praemiſit, §. XI. Adiungo duumuiris his Cl. Walchium, qui & ipſe in ſuis ad nouiſſimam Lactantii operum editionem Prolegomenis *cap. V. p. 38.* dubitauit, an liber ille ſit genuinus Lactantii foetus.

V.

Nec tamen defuerunt, qui veritatis ſuſcepto patrocinio Nurrianas argutias erudito ſtylo diluerent, ſuumque redderent Baluzianae ſententiae ſeu potius veritati nitorem. Certe non multo poſt, quam Nurrius Lactantio librum iſtum abiudicare auſus eſt, Anonymus quidam (Celeb. Crozium eſſe ferunt,) edita ſingulari diſſertatione, quae *Diario*, titulum

alienum duco. Illud ante obſeruatum volo, eodem fato conflictatum fuiſſe vtrumque Lactantii libellum. Nam vti *Sympoſium* eius titulum ſuum breui amiſit, atque alium habere auctorem creditum eſt; ſic & ille *de mortibus perſecutorum* liber exiguo temporis ſpatio eruditorum oculis ſubductus, ac tenebris illis ſepultus fuit, e quibus eum tandem protraxit Baluzius. Id, quod dixi, facile probat locus quidam Sulpicii Seueri. Is enim *lib. II. Hiſtoriae ſacrae cap. 29. n. 6.* de Nerone: *Creditur*, inquit, *etiamſi ſe gladio ipſe transfixerit, curato vulnere eius ſeruatus, ſecundum illud, quod de eo ſcriptum eſt:* Et plaga mortis eius curata eſt; *ſub ſaeculi fine mittendus, vt* (tanquam prodromus Antichriſti) *myſterium iniquitatis exerceat.* Hoc ſane Sulpicius haud erat ſcripturus, ſi haec Lactantii verba legiſſet capite ſecundo libri *de mort. perſec. n. 8: Quidam DELIRI credunt, Neronem eſſe viuum reſeruatum, vt antichriſti praecedat aduentum.* Nec, ſi id legiſſet, repetiturus iſtud delirium fuiſſet *Dial. II. cap. 14.*

VII.

Sed redeo ad Nurrium, cuius cum librum recenſerem An. 1711. in *Actis Eruditorum p. 470. ſqq.* eius argumenta, quibus pugnat, librum *de mortibus perſecutorum* non eſſe

Lactantii, recenſui ſigillatim, &, quantum iis inſit ponderis, conſideraui. Paucis defunctus illo labore ſum, nec nunc futurus copioſior, ſed depromtam e memorato loco diſſertatiunculam totidem verbis (ſi perpauca exceperis, quae adiicio nunc,) hic repetiturus. Scilicet quo breuius ſingula perſtrinxi, eo minus fucus fieri poteſt legentibus, & quilibet vno velut oculi ictu & Nurrii ſiue dubitationes ſiue ſophiſmata, & meas reſponſiones intueri, ac de vtrisque facillimo negotio ferre poterit iudicium. Nec puto ampliori refutatione Nurrii opus eſſe: imo praepoſterum foret, ad leuioris armaturae milites ſuperandos anxie inſtruere vndique conductam aciem, ac in re tenui non minus longo tempore dicere cauſam, quam ſi *pro Milone* vel *in Verrem* dicendum eſſet.

VIII.

En igitur, cordate lector, cum argumenta Nurrii, tum noſtras reſponſiones! *Primo* itaque dicit Nurrius, alium eſſe potuiſſe Lucium Caecilium praeter Lactantium. Sed a poſſe ad eſſe non valere conſequentiam, barbarum quidem, ſed veriſſimum Scholaſticorum ſcitum eſt. Neque enim demonſtrat Nurrius, alium id temporis exſtitiſſe Caecilium, qui nomen ſcri-

ſcribendo conſecutus ſit. Ac ſufficit nobis, Lucium illum Caecilium etiam eſſe poſſe Lactantium. An vero is ſit reuera, certis efficiendum eſt argumentis. *Secundo* miratur, in titulo codicis MS. omiſſa eſſe nomina *Firmiani Lactantii.* Idem nos miramur, ſed non videmus, cur hoc argumento liber ſit Lactantio abiudicandus: praeſertim ſi aliae rationes eum omnino a Lactantio profectum eſſe perſuadeant. Et quid ſi cum Baluzio librarii oſcitantiae id tribuamus? Sane deſcriptorem libri huius fuiſſe hominem admodum imperitum, & Baluzius teſtatur & liberaliter aſſentitur Nurrius. Quam aequum igitur eſt credere, indoctum illum librarium, cum vniuerſa Lactantii nomina adſcribere grauaretur, pro vltimo nomine, quod prae caeteris deſcribi oportebat, ideo arripuiſſe praenomina, quod principem tenebant locum. *Tertio* negat Nurrius, vnquam quenquam memoriae prodidiſſe, quod Lactantius librum *de mortibus perſecutorum* compoſuerit: Hieronymum enim tantum referre, eum ſcripſiſſe *de perſecutione* librum. Verum cum nemini ſit obſcurum, quantum ſibi indulgeant veteres in citandis librorum titulis, quodque ſaepius ex memoria eos citent vtcunque, valde vereor, vt

Herculeum ſit hoc Nurrii argumentum. Imo vero ipſe Hieronymus nobis feret ſuppetias, dum in *Comment. ad Galat. I. n.* memorat *Ciceronis libros, qui de quaeſtionibus philoſophiae praenotantur.* Hoc enim titulo nullus gaudet librorum Ciceronis, ſed Hieronymus iſto loco innuit Ciceronis libros *de finibus bonorum.* Et, quod magis ferit Nurrium, & obiectionem eius prorſus infringit, idem Hieronymus eodem in *Catalogo ſcript. eccl. cap. LIII.* refert, Tertullianum ſcripſiſſe librum *de perſecutione,* haud dubie loquens de illo Tertulliani libro, qui etiamnum ſupereſt inſcriptus *de fuga in perſecutione.*

IX.

Quarto contendit Nurrius, libri huius ſtylum a Lactantiano ſcribendi genere prorſus abhorrere. Hoc ſane nouum eſt argumentum & plane *παράδοξον*. Nam omnes Critici agnoſcunt, libri *de mortibus perſecutorum* dicendi genus adeo cum Lactantii ſtylo concordare, vt vix ouum poſſit ouo eſſe ſimilius. Vt Baluzium omittam, refert Bauldrius, ſe ſingularem concinnaſſe Indicem vocum, phraſium & rerum, quas cum Lactantio certis operibus communes habeat hic liber: & Columbus in hoc libro ſe deprehendiſſe fatetur accuratiſſime adumbratam orationis

nis! Lactantianae imaginem. Cum igitur tot Critici hac ſint in ſententia, curatius expendamus, quaeſo, quae Nurrius ad contrariam opinionem ſtabiliendam affert in medium. Producit igitur, primo locum ex Cap. II. vbi minus Latine dicatur: *per omnes prouincias & ciuitates Eccleſiae fundamenta miſerunt.* Meminit, Lactantium *lib. IV. Inſtit, cap. 21.* ita ſcripſiſſe: *fundamenta eccleſiae vbique iecerunt.* Sed id quidem facile dilui poteſt. Habemus enim confitentem Nurrium, codicem illum exaratum eſſe ab homine plane illatino. Annon igitur in promtu eſt credere, librarium pro *ieccrunt* vel *poſuerunt* vitioſe ſcripſiſſe *miſerunt?* Vt omittamus, ex reliquo huius libri textu manifeſtum ſatis eſſe, auctorem eius Latinae fuiſſe linguae (d) ſcientiſſimum.

X.

Deinceps notat Nurrius, huius libri *capite tertio* de Domitiani perſecutione agi, nec tamen eius nomen diſerte proferri. Hoc vero facturus fuiſſe Nurrio videtur Lactantius. Verum an dignum

(d) Addendum hic eſt, quod Cl. Bunemannus in Miſcell. Lipſ. T. III. p. 174. obſeruauit, dictionem illam: *mittere fundamentum Eccleſiae*, ſi non optimae, certe Eccleſiaſticae Latinitatis eſſe.

ſit reſponſione hoc argumentum, alii viderint: nos ad reliqua progredimur. Ex *Cap. V.* ſequentia profert verba, quae non modo minime Lactantiana eſſe, ſed ſenſu quoque carere iudicat: *Sapores impoſito pede ſuper dorſum eius* (Valeriani Imp.) *illud verum eſſe dicebat, exprobrans ei cum riſu, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent.* Nobis contra videtur illud: *impoſito pede ſuper dorſum eius*, non multum abhorreri a Latinis (e) auribus. Caeterum ſenten-

(e) Quod hic dixi, exemplis luculentis affirmauit Cl. Bunemannus loc. cit. p. 176. Cum enim Nurrius dixiſſet: *Quis vnquam phraſin huic ſimilem* (imponere pedem ſuper dorſum,) *in veris Lactantii libris animaduertit? Eam proferat, ſi libet, ac cedimus;* Ego vero, inquit Bunemannus, phraſin huic ſimilem in veris Lactantii libris bis animadverti lib. IV. Inſtit. cap. 14. n. 8: *imponite cidarim mundam ſuper caput ipſius, & poſuerunt cidarim ſuper caput eius.* Eodem modo Cyprianus lib. II. ad Quir. cap. 13. & verſio antiqua Ioſuae XI. 24: *ponite pedes veſtros ſuper colla eorum:* & Irenaei interpres lib. III. cap. 12. & membranae meae Act. XV: *imponere iugum ſuper ceruicem.* Petronius ſatyr. p. 95: *crines ſuper pectus iacentis impoſuit,* & p. 98: *vultum ſuper ceruicem ponente.* Hyginus fab. 150: *coeli fornicem ſuper humeros impoſuit,* & fab. 152: *montem ſuper eum impoſuit.* Si quis vrgeat, in MS. eſſe *ſupra dorſum*, ei quoque opponimus Apicium Art. coquin. lib. IV. cap. 4: *ptiſanam impones ſupra ignem.* Hactenus doctiſſime

ſententia verborum haud obſcura eſt, modo deleatur *non*, quod a librariis crebro & omiſſum & alienis locis intruſum eſſe, quis neſcit? Delendam autem hoc loco eſſe voculam *non*, iam A. 1710. monui in *Diſſertatione hiſtorico-critica*, *fabulam de Friderico I. Imp. a Pontifice Rom. pedibus conculcato refellenti §. VI.* Nimirum Sapores exprobrabat Valeriano cum riſu, quod Romani in tabulis pingere ſolerent Perſarum reges pedibus Romanorum Imperatorum ſubmittentes colla: cum tamen id nullo vnquam tempore factum ſit. Hic autem, in Valeriano, *illud verum eſſe*, non fictum, non pictum, dicebat Sapores.

XI.

Quae ſuperſunt loca a Nurrio obiecta, non attinet perſequi ſingula, cum ipſe parum ea valere fateatur, & metuat, ne forte a librario ſint corrupta. In vno tamen loco, ex *Cap. XVIII.* depromto, mirifice ſibi plaudit Nurrius, quippe qui *vel vnicus etiam peruicacioribus perſuadere poſſit*,

V 5 (ita

ſime Bunemannus. His adiicio duo loca, quae, ſi apud alium, quam Cornelium Nepotem atque Curtium, legerentur, haud effugitura videntur notam cenſoriam. Nepos ſcilicet in Vita Datamis cap. XIV. 3. ita ſcribit: *Ibi, vbi telum erat impoſitum, reſedit.* Curtius VI. 7. 22: *Metron erat ſuper armamentarium poſitus.*

(ita enim ſcribit,) *hunc librum ea ſcribendi ratione eſſe compoſitum, vt aperte clamet, alium omnino, quam Lactantium, ſe habuiſſe parentem.* Longior eſt locus, quam vt per breuitatis ſtudium eum transſcribere liceat, ſed ita profecto comparatus, vt miranda ſit Nurrii confidentia, dictantis, verba illius loci haudquaquam a Lactantio potuiſſe proficiſci ob nimiam obſcuritatem. Lectoris indagini eum relinquo, illud profeſſus, me nihil deprehendere illo in loco, cur Lactantio ſit indignus habendus.

XII.

Sed miſſo iam dicendi genere, alia circumſpicit Nurrius ſententiae ſuae praeſidia. Credit, Donatum, cui liber hic eſt inſcriptus, alium (f) eſſe a Donato, cui Lactantius librum ſuum *de ira Dei* dicauit. *Hinc*, inquit, *conficitur, duos eſſe planeque diuerſos horum duorum librorum auctores.* Commiſſa hac ἀσυλλογιςία, monet, Lactantio morem eſſe, vt libros a ſe editos aliis in libris commemoret: atqui id de hoc libro factum non eſſe. Quod argumentum ſi valet, plures libri immerentes

νοθείας

(f) Hanc ſententiam Nurrio praeiuit Tillemontius T. VI. Commentariorum Hiſt. eccleſ. qui tamen ſtatuit, Lactantium eſſe verum auctorem libri *de mort. perſec.*

νοθείας notam ſcribunt. Et vellem, Nurrius diſquiſiiſſet, an ſingulorum illorum librorum, quos a Lactantio editos eſſe teſtatur Hieronymus, mentio ſuperſit in operibus Lactantii adhuc exſtantibus. Hoc pacto ſuum errorem facile erat deprehenſurus. Denique concludens tradit, in hoc libro narrari quaedam, quae aliorum eius aetatis ſcriptorum ſententiis repugnent: ergo eum Lactantii eſſe non poſſe. Sed vix quisquam ſentiet huius argumenti pondus. Etenim fatetur Nurrius, Caecilium ſuum, quem fingit, & Lactantium eadem vixiſſe aetate. Ergo vt Caecilius, ſic & Lactantius, quaedam narare potuit ab aliorum illius aeui ſcriptorum opinionibus diſſidentia.

XIII.

Hae igitur ſunt rationes Nurrianae, quibus receptam eruditis ſententiam de auctore huius libri haud ſane labefactari, breuiter oſtendi. Perſuaſum etiam habeo, Nurrium hunc laborem nunquam ſuſcepturum fuiſſe, niſi Eccleſiae ſuae raptus amore, ea re magnum praeſidium heterodoxis, quos vocat, ereptum iri exiſtimaſſet. Neque enim diſſimulat in Praefatione hanc cauſam, querens, heterodoxos illos libri huius, tanquam La-

ctantia-

ctantiani, auctoritate varios propugnare errores. In quibus non minimus viſus eſt Nurrio noſtro ille, quo ex libro *de mort. perſec.* docent, Petrum Nerone demum regnante Romam veniſſe. Vnde & Diſſertationis ſuae *Cap. IV. artic.* 4. de iſthoc loco contra haereticos diſputat, & omnia facit, vt hunc locum cum vulgari Pontificiorum fabula conciliet. Sed finem facio cum Nurrio diſputandi, illud vltimo loco adiungens, eundem, dum Cap. IV. & ſequentibus ſaepe contendit Lactantium cum auctore libri *de mortibus perſecutorum*, inuitum nos confirmare in ea ſententia, quod genuinus is foetus ſit Lactantii.

II.

C. A. HEVMANNI SYMBOLA CRITICA IN LACTANTIVM.

I.

QVod Io. Clericus, vir copioſiſſimae pariter & accuratiſſimae doctrinae, non ita pridem (a) dixit, nondum vllam exſtare ſatis diligenter adornatam Operum Lactantii editionem, id facile aſſentietur, quisquis Critico perluſtrarit oculo Ciceronis illius Chriſtiani reliquias. Etſi enim quorundam clariſſimorum virorum operâ factum eſt, vt non amplius vera ſit querela Parrhaſii, *Lactantii libros adeo deprauatos luxatosque eſſe* (b) ſcribentis, *vt ne ipſe quidem, ſi modo reuiuiſcat, eos ſine coniectore ſit agniturus;* tamen haud ſane paucae relictae ſunt in Lactantio mendae, nec tenue poſt tantam meſſem ſupereſt ſpicilegium iis, qui ingenii arte Critica ſubacti vires hic experiri

(a) Bibl. Nouantiq. T. XI. p. 201.
(b) In Gruteri Theſ. Crit. T. I. p. 790.

periri voluerint. Quo vero plures operam ſuam ſtudiumque in emendando Lactantio collocarint, eo felicius res ſuccedet, vt tandem omni macula abſterſa ex omni parte nitidus in lucem prodire poſſit tam ſtudioſus puritatis ac nitoris auctor. Ego quidem, quae ſubinde in eo animaduerti correxique, hic legentium oculis iudicioque exponam, etſi mallem, ingenio doctrinaque praeſtantiores viros otia mihi feciſſe, nec minorem Lactantio, quam Plauto Petronioue emendando, nauaſſe operam. Si quando otium ſuppetet ad Lactantium denuo curate perluſtrandum, tum, quoscunque deſcribentium errores detexero, pari literas iuuandi ſtudio expromam, Criticisque occaſionem praebebo, vel agnoſcendi veram ſcripturam vel facilius inueſtigandi.

II.

Primo autem eas emendationes, quas alibi locorum, vbi non facile quaeruntur, protuli. Scilicet cum in *Actis Erud. A. 1711.* Nurrianam editionem libri *de mortibus perſecutorum* recenſerem, ſummis anniſus ſum viribus, vt primum eius libelli caput ductu codicis MS. cuius particulam aliquam Nurrius accuratiſſime aeri inciſam exhibuerat, emendarem. Vidi igitur, *num.* 2. pro *addetur bis omnibus aduerſarius*, ſcriben-

ſcribendum eſſe *deletis omnibus aduerſariis*: eamque correctionem pluribus firmaui in *Criticis* meis *Parergis p. 29. & 30.* Addo nunc ei confirmandae locum inſignem e *cap. XLIII. 1: Vnus iam ſupererat de aduerſariis Dei*, hoc eſt, de perſecutoribus Eccleſiae. Credit quidem (c) Cl. Bunemannus, in eo me erraſſe, quod vltimam τῦ *addetur* ſyllabam natam eſſe putarim ex adiecto ſigno diuiſae ſyllabae: nec videtur iniuſte erroris ea in re me accuſare; attamen cum adeo belle ſe habeat iſta emendatio, vt ipſe Bunemannus eam caeteris praeferendam ducat, non anxie de vera mendi origine diſputabo. Sufficit, emendationem illam tam claram eſſe tamque liquidam, eiusque adeo clara ſupereſſe in codice MS. veſtigia, vt a nemine queat repudiari, niſi qui clariorem ei ſubſtituerit liquidioremque: quod quidem Cl. Bunemanno facere non licuit, nec vnquam, opinor, licebit.

III.

Eodem, quem dixi, loco veſtigia MS. codicis ſecutus *n. 6.* pro vulgato: *eundem mortem digna vltione ſuperbis & impiis*, reſcripſi ita: *eundem iudicem iudicum digna ſupplicia impiis*. Rurſus *num. 7.* pro *oſtende-* *ret*

(c) In Miſcell. Lipſ. T. III. p. 171.

ret repoſui *oſtenderit.* Denique ibidem pro *fuerunt auctores* ſcripſi *fuerint perſecutores eius.* Vide vel ex his exemplis, erudite lector, quam longe a codice MS. recedat paſſim Baluziana huius libri editio, & quantopere ſit optandum, vt vir quiſpiam ingenio & arte critica inſtructiſſimus denuo codicem illum MS. ſollicite inſpiciat, eique cum edito textu comparando eruendisque hinc emendationibus ſuam commodet patientiam.

IV.

Produxerat ex eo tempore nouam Lactantii operum editionem vir celeberrimus mihique peramicus, Io. Georgius Walchius, quam cum compararem cum peruetuſto Lactantio, An. 1513. Florentiae ſumtibus Philippi de Giunta excuſo, deprehendebam quidem, Florentinam iſtam editionem innumeris eſſe mendis obſeſſam, quibus recentiores editiones purgatae ſunt; attamen nec paucae in illo ſterquilinio ſeſe mihi offerebant margaritae, hoc eſt, lectiones veriores, quas cum communicarem cum Walchio, is non dubitauit eas *Atrio*(d) *bibliographico*, cui edendo tum praeerat, inſerere & eruditiſſimi cuiusque ſubmittere iudicio. Retractaui nuper

(d) Neuer Bücher-Saal P. XLV. p. 670. ſqq.

nuper eas non indiligenter, & ſingula loca denuo inſpexi, quae cum Florentino codice paſſim compararam. Obſeruaui, pleraſque ex editione Florentina petitas emendationes non eſſe mihi poenitendas. Vno tamen alteroque de loco iam aliter mihi ſentiendum duco. En igitur illas emendationes meas, paucis locis emendatiores!

V.

Pag. 8. v. 1. editionis Walchianae legitur *ſtruendis*. Florentina editio habet *aut ſtruendis*. Vtrumque mendoſum.

P. 8. lin. 7: W. *cupiuerunt*, F. *cupierunt*.

P. 9. lin. 4: W. *vt in ſola ſummi*. F. *vt in ea omne ſummi*. Cellarius male ſic edidit: *vt in ipſa eſſe ſummi boni primum praedicarent*.

P. 10. lin. 18: W. *militiam*. F. *malitiam*. Sic & Cellarius. Recte ſane. Nam *malitia* proprie tribuitur cauſidicis etiam a Cicerone *lib. IX. ad Famil. epiſt. 19.* & Plinio *lib. II. epiſt. 3.* Idem Cicero *cap. 10. libri primi de officiis* vocat *nimis callidam & malitioſam iuris interpretationem*. Hinc Terentii illud rite intelligitur *Heautont. IV. 5. 48: Ius ſummum ſaepe ſumma malitia eſt.*

P. 14. lin. 12: W. *afferentibus*. F. *aſſerentibus*. Recte, contra nitente licet Cellario. Vid. p. 15. lin. 8. retro a fine.

P. eadem lin. 19: W. *ſibi quique.* F. *ſibi quisque.* Recte.

P. 16. lin. 12. W. *natura ſitne.* F. *natura ſiue.* Neutrum recte. Infra in *Epitome* p. 1135. hoc ipſum repetit Lactantius hiſce verbis: *ſitne aliqua prouidentia.* Ergo & ſuperiore loco expunge τὸ *natura*, & ſcribe: *ſitne prouidentia.* Videtur aliquis interpretationis cauſa in margine ad ſcripſiſſe *nimirum* vnde porro factum *natura.*

P. 19. lin. 9. & 11: W. *quin oculos - - non aliquam.* F. *qui non oculos - - aliquam.* Lego: *qui oculos - - non aliquam.*

P. 24. lin. 17: W. *totius ſummae cura.* F. *totius ſumma cura.* Prius praefero. Nam *lin.* 4. *&* 5. iſta leguntur: *Niſi enim ſingularum partium poteſtas ad vnam prouidentiam referatur, non poterit ſumma ipſa conſtare.* Quae verba illuſtret Curtius *III.* 8. 30. inquiens: *Vbi partes labant, ſumma turbatur.*

P. 28. lin. 2: W. *principes, etiam reges.* F. *principes, aut etiam reges.* Recte. Sic & Cellarius.

P. 50. lin. 9: W. *generauerit.* F. *generauit.* Recte.

P. 53. lin. 2: W. *procreatus.* F. *ſit procreatus.* Recte.

Ibidem

Ibidem *lin.8*: W. *animam debeamus*. F. omittit vocem *animam*. Recte.

P. 55. lin. 3: W. *quoniam ſunt*. F. *quando ſunt*. Recte. Sic & *lin. 14*.

Ibidem lin. 15: W. *quotidie*. F. abeſt illa vox. Recte.

P. 58. lin. 5: W. *viraginem*. F. *virginem*. Recte.

P. 59. lin. 2: W. *cum ſummis*. F. *eum ſummis*. Recte.

Ibidem lin. 8. retro a fine: W. *haec omnia*. F. *haec*. Recte.

P. 61. lin. 5: W. *diffluere*. F. *diſſolui*. Recte.

P. 62. lin. 2: W. *Cynoſuris*. F. addit: *urbe Arcadiae*.

P. 66. lin. 8: W. *fit contra naturam*. F. *fit contra naturam*. Recte.

P. 67. lin. 16: W. *quod religio*. F. *quod & religio*. Recte.

P. 73. lin. 3: W. *pictores etiam*. F. omittit *etiam*. Lego: *ſed pictores etiam*.

Ibidem lin. 9: W. *eum vere*. F. *tum vero*. Recte.

Ibidem lin. 14: W. *nam aliud*. F. *nam quod eſt aliud*. Lego: *nam quod aliud*.

P. 895. lin. 14: *perſpectione*. F. *perfectione*. Recte.

P. 896. lin. 11: W. *adeoque*. F. *Adeo*, praemiſſo puncto. Recte.

P. 897. lin. 10: W. *firmatique*. F. *formatique*. Recte.

P. 899. lin. penult. W. *deducetur*. F. *deducitur*. Recte.

P. 981. lin. 6: W. *ne ibi quidem*. F. *nec ibi quidem*. Recte.

P. 985. lin. 1: W. *quoniam*. F. *quem*. Recte.

VI.

Libet his adiungere, quas in margine Lactantii mei adſcripſi, correctiones haud temerarias. Ille *de mortibus perſecutorum* libellus multa adhuc alit monſtra. Nec id mirum: cum Baluzius fateatur, MS. eius codicem eſſe *ab imperita manu ſcriptum, adeoque plurimis mendis infectum*. Sunt inter ea quaedam, quae miror fugiſſe tot criticorum diligentiam. Adeo obuia erat emendatio, & vel tironi critices peruia. En exemplum! *Cap. XXVI. n. 2.* haec exſtant: *Cum ſtatuiſſet, cenſibus inſtitutis orbem terrae deuorare, ad hanc vsque proſiluit inſaniam, vt ab hac CAPTIVITATE ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem.* Quis non videat, pro *captiuitate* ſcriptum ab auctore fuiſſe *capitatione?* Hanc hiſce verbis deſcribit Lactantius noſter *cap. XXIII. 6? pecuniae pro capitibus pendebantur*, vbi *capitationem* ſignificari obſeruat Columbus, de eaque inſpici iubet Franc. Balduini librum de legibus Conſtantini M.

p. 154.

p. 154. Audi & Saluianum *lib. V. de gub. Dei p. 158.* ſic ſcribentem: *quam non ferendum, quod plerique pauperculorum - - cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa petuntur: cum poſſeſſio ab his receſſerit, CAPITATIO non recedit!* Quid ſit illa *capitatio*, iureconſultus nos doceat *Zieglerus*, qui in *Notis ad Grotii lib. II. de I. B. P. cap. 2. §. 14. p. 236.* eam eſſe ait *tributum, quod pro modo agrorum pendebatur.* Plura de ea profert *Dufreſnius* in *Gloſſario* ſuo. Etiam Conringius in *Diſſert. ad legem I. Cod. Theodoſ. de ſtudiis lib. Romae & Conſtantinop. p. 33. & 34.* de iſta *capitatione* nonnihil profert, ac ſingularis meminit libelli *de capitatione* ſcripti a Ioan. Bapt. Vicecomite, ICto Mediolanenſi.

VII.

Non maioris erat negotii, mendas tollere, quae inſederant *capiti XXXVII.* Nimirum *n. 3. & 4.* haec leguntur: *Nam ſi quid reliqui vel Diocles vel Maximianus reliquerunt, hic abraſit, ſine vllo pudore auferens omnia. Itaque horrea priuatorum claudebantur, apothecae obſignabantur, debita in futuros annos exigebantur.* Quam facile hic cognoſcitur, pro *debita* reſcribendum eſſe *tributa!* Nec dubito, quemuis primo ſtatim intuitu mihi aſſenſurum, legi oportere *reliquerant* pro *reliquerunt.* Certe plusquamperfectum,

quod vocant grammatici, hic loci reponi debet. Vt autem etiam *τὸ reliquerant* tolli velim, ſuadet *τὸ reliqui*, quod proxime praecedit. Abhorret profecto ab elegantia Lactantii iſta dictio: *ſi quid reliqui reliquerant*. Enimuero ſuſpicor, hanc eſſe veram Lactantii ſcripturam: *ſi quid reliqui - - fecerant*. Hoc enim dicendi genus vitio caret, imo inter delicias Tullianas non vltimum obtinet locum. Eodem loco poſt *annonam* excidiſſe quaedam, non niſi ex codice aliquo MS. reſarcienda, facile intelligitur.

VIII.

In eodem capite *n. 5.* Criticis non parum negotii faceſſiuerunt illa verba: *cum ſatellites vniuerſos, quorum numerus ingens erat, pretioſis veſtibus & aureis nummis expungeret.* Optimi viri haeſerunt circa vocem *expungeret*. Recte ſane. Sed nemini in mentem venit, & illud verborum par, *aureis nummis*, deprauatum eſſe. Scilicet ſic legi omnino debet: *cum ſatellites - - pretioſis veſtibus & auro gemmiſque diſtingueret.* Iterum Lactantius *Inſtit. lib. VI. cap. 20. n. 7.* dixit *gemmis diſtincta*, Ciceronem imitatus, qui *Orat. IV. in Verrem cap. 27.* meminit *pocula ex auro, gemmis diſtincta clariſſimis.* Audiamus & Curtium: *Illi*, inquientem, *aureos torques, illi veſtem auro diſtinctam habebant,*

bebant, *manicataſque tunicas*, *gemmis etiam adornatas*. Perfrequens Curtio eſt haec dictio, vt vel ex Indice eius Freinshemiano apparet.

IX.

Redeo ad Lactantium, ex eoque gloſſema tollo, quod paulo poſt ſequitur *n. 6.* En ſcripturam vulgatam: *Nam quod viuentium bona vel auferebat, vel dono ſuis dabat, quisque petierat aliena, neſcio agendas illi fuiſſe gratias putem, quod more clementium latronum incruenta ſpolia detrahebat.* Quid ſibi velint iſta verba: *quisque petierat aliena*, cum diſpicerent editores, integritati orationis ſe conſulere putabant adiiciendo *prout*. Verum non inſerendum quicquam erat, ſed eiiciendum. Scilicet voci *ſuis* adſcripſerat aliquis hoc interpretamentum: *qui petierant aliena*. Id tandem in textum irrepſit, & locum foedauit, optime profluentem, ſi verba illa tria extruſeris. Nouam vero maculam loco huic nunc elegantiſſimo affricare aggreſſus eſt eruditiſſimus alioquin ac praeclare de his literis meritus Cuperus, cum pro *neſcio an* reſcribendum cenſuit *neſcio an non*, non obſcure ſuffragante Paulo Bauldrio. Dicere mihi liceat, vtrumque non perſpectam habuiſſe veram notionem *τȣ̃ neſcio an*. Id eo minus mirum videri debet,

quod & alios Latine alioquin doctiſſimos viros hic offendiſſe, multis docuit exemplis Ioannes Vorſtius *lib. de Latinitate merito ſuſpecta cap. 28.* Scilicet *neſcio an* ſignificat *fortaſſe*, pro quo imperiti, vernaculi ſermonis indole decepti, dicere aſſolent *neſcio an.* Cicero *lib. I. offic. cap. II: Haud ſcio, an ſatis ſit*, hoc eſt, *fortaſſe ſatis eſt.* Idem *de ſenect. cap. 16: Haud ſcio, an vlla beatior poſſit eſſe vita.* Adde Turſellinum in *haud ſcio an.*

X.

Venio ad ſubſequens Caput *XXXVIII.* cuius initium valde mendoſum eſſe, nemo non agnouit. En illud: *Illud vero capitale, & ſupra omnes, qui fuerunt, corrumpendi cupiditas, quid dicam neſcio, niſi coeca & effrenata, & tamen his verbis exprimere pro indignatione ſua non poteſt: vincit officium linguae ſceleris magnitudo.* Poſtrema verba elegantiae pleniſſima idem Lactantius habet *lib. VI. Inſtit. diu. cap. 23. n. 12:* quo loco idem, quod hic, argumentum tractat. Deſcribit nimirum deteſtandam *corrumpendi cupiditatem*, id eſt, Veneream libidinem. De hac enim proprie *corrumpendi* vocabulum vſurpant cum Graeci, tum Latini. Cicero *lib. III. in Verrem cap. 2.* hoc ſenſu coniungit *corruptorem* & *adulterum.* Sic Suetonius in *Domitiano cap. 8.* meminit eius in

corru-

corruptores virginum Veſtalium ſeueritatem. Idem in *Claudio cap. 16.* mentionem facit cuiusdam *corruptelis adulteriisque famoſi.* Eutropius quoque *Breu. hiſt. Rom. lib. IX. cap. 7. n. 5.* & *cap. 12. n. 6.* pro *adulterium committere* dixit *aliena matrimonia corrumpere.* Ad Graecos quod attinet, Aelianus *Var. hiſt. lib. IX. cap. 8.* dixit διαφθείρειν τὴν παρθένον. Idem ſinceram intactamque virginem *lib. XII. cap. 1. p. 546.* appellat ἀδιάφθορον. Etiam apud Herodianum *lib. I. cap. 11. n. 12.* διαφθορὰ ſignificat *corruptionem virginitatis.* Pari modo Plutarchus *lib. de educ. liber. cap. XV. n. 6.* habet γυναικῶν οἰκοφθορίαν γαμετῶν, quod Xylander vno verbo reddidit *adulteria.* Sic quod Eutropius *l. 16. 2.* dixerat *virginem corrumpere*, interpres eius Paeanius reddidit διαφθεῖραι πρὸς βίαν. Nolo deſcribere, quae huius generis obſeruauit Hammondus in ſua ad *2. Petri I. 4.* annotatione.

XI.

Manifeſtum iam eſt, quid ſibi velit apud Lactantium *corrumpendi cupiditas*, iſtamque interpretationem, quae ſubſequuntur, verba abunde confirmant. Hoc & mihi perſuadet, in corruptiſſimo hoc loco pro *illud* legi oportere *illudendi*, vt coniungatur *illudendi corrumpendique cupiditas.* Sane & ſuperiore loco, quo Lactantius

idem tractat argumentum, (*lib. VI. cap. 23. n. 10.*) grauiter in eos inuehitur, quos dicit *etiam ſuum ſexum profane ac petulanter ILLUDERE.* Eodem ſenſu Curtius de Alexandro *III. 12. 22: Coniugem Darii adeo ipſe non violauit, vt ſummam adhibuerit curam, ne quis captiuo corpori illuderet.* Nec alio ſenſu cape, quod Tacitus *Annal. XV. 72 4.* dixit *matri alicuius illudere.* Sic & Terentius *Eun. IV. 3. 3.* ſcripſit: *ludificatus eſt virginem*, hoc eſt, vi eam compreſſit. Rurſus Curtius *IV. 10. 27.* & *X. 1. 3: Virgines & principes foeminarum ſtupra perpeſſae, corporum ludibria deflebant.* Recte quoque Hammondus τὸ παίζειν *1. Corinth. X. 7.* de foeda libidine capit: nec aliter capio vetus illud: *Ede, bibe, lude.* Quid? quod & Hebraei ſic loquuntur. Nam *Geneſ. XXXIX. 13.* & *17.* Potipharis vxor queritur, Ioſephum *illudere ſibi* voluiſſe, (vt recte habet vulgatus interpres,) לְצַחֶק. Non omittendus Ouidius eſt, apud quem *ludere virginem* non aliud eſt, quam *vitiare, lib. I. Amor. eleg. 3. v. 22.* Illud poſtremo addo, apud Auguſtinum *lib. III. de C. D. cap. 6. illuſum maritum* vocari, cuius vxor adulteri amore capi ſe & irretiri paſſa eſt.

XII.

Dum vero haec verba coniuncta volo, *illudendi corrumpendique cupiditas*, facile lector

lector intelligit, mihi videri voces huius loci mire traiectas eſſe. Ac ſane ita prorſus cenſeo, nec alio pacto puto reſtitui huic loco ſanitatem poſſe. Quare coniecturas meas proferre pergam, haud ſane improbabiles, etſi ita comparatas, vt pro liquidò certa & explorata veritate haberi non debeant. Dum igitur lego *cupiditas coeca & effrenata*, recordor Ciceroniani illius *Orat. I. in Catil. cap. 10: Ibis tandem aliquando, quò te iampridem tua iſta cupiditas effrenata ac furioſa rapiebat.* Tò *furioſa*, quod hic vides, a Chriſtiano quoque Cicerone expreſſum fuiſſe credo, ſed nunc latitare ſub corrupto *fuerunt*. Liceat & haec verba Lactantii corrupti: *ſupra quid dicam neſcio*, coniungere arctius, & hunc emendare in modum: *ſupra quam dici poteſt*. Denique ſic caetera ſcribere auſim: *& tamen his verbis exprimi res pro indignitate ſua non poteſt. Indignitas* idem eſt, quod *turpitudo*: quae notio omnibus eruditis nota eſt. Pari modo Cicero *Orat. pro Murena cap. 25.* dixit *pro rei indignitate non ſatis ſeuere decernere*. Totus iam locus, de quo diſputo, hunc in modum vel debet legi, vel ſaltim commodiſſime concinneque poteſt: *Illudendi vero corrumpendique cupiditas quam capitalis & ſupra quam dici poteſt, coeca & effrenata & furioſa! Et tamen his verbis exprimi*

mi res pro indignitate ſua non poteſt. Vincit officium linguae ſceleris magnitudo.

XIII.

Progredior ad alium *libri de mortibus perſecutorum* locum, qui & ipſe non leuiter inquinatus eſt. Exſtat is in capite *XLIX. n. 5.* ſic adhuc ſe habens: *Tunc demum, amiſſo viſu, Deum videre coepit, candidatis miniſtris de ſe iudicantem.* Errant vehementer, qui *candidatos miniſtros* hic angelos dici exiſtimant. Non enim loquitur Lactantius de viſione Dei per oculos corporis, neque de viſione aliqua ecſtatica, ſed de viſione Dei reali, vt ſic loquar. Vult nimirum, tyrannum ex poenis ſibi inflictis tandem agnouiſſe & quaſi vidiſſe Deum, vt cum magis Pharaonicis dicere poſſet: *Agnoſco DEI digitum.* Simili ratione ſupra *cap. XXXIII. n. 11.* de alio tyranno, diriſſimo morbi genere vexato: *Tandem,* inquit, *malis domitus Deum coactus eſt confiteri.* Lege igitur ſic ſuperiori loco: *Tunc demum amiſſo viſu Deum videre coepit crudelitatem iniuſtitiamque vindicantem,* vel, ſi forte mauis, *crudelitatem iuſtiſſime vindicantem.*

XIV.

Superſunt pauca, eodem in libello obſeruata, quae vno faſciculo comprehendam. *Cap. XIII. n. 3.* ex vna voce faciens duas ſic reſcribo: *Statimque productus,*

ctus, non modo extortus, ſed & iam (editum eſt *etiam*,) *legitime coctus*; *cum admirabili patientia poſtremo exuſtus eſt*. *Cap.* XXIII. 3. ſcribo: *adſcribebantur*, *quae non habebant*, comprobans interpretationem huius loci Tollianam, quam annotationibus ſuis ad hunc locum inſeruit Bauldrius. *Cap. XLII.* pro *cum quoque* lego *vbicunque*, quam coniecturam iam Voſſio in mentem veniſſe, idem Bauldrius me docuit.

XV.

Perluſtrabo iam caeteros Lactantii libros, adhibiturus eis, pro eo, ac fieri a me poterit, medicinam; vel potius iam dudum adhibitam lectoribus meis indicaturus atque vindicaturus. Ac primo ſtatim libro *Inſtitutionum diuinarum* mendum haeret in prima capitis primi ſectione. Editum ſic eſt: *exiſtimantes, multo eſſe praeclarius, humanarum diuinarumque rerum inueſtigare ac ſcire rationem, quam ſtruendis* (Florentina editio, quam ſupra memoraui habet *aut ſtruendis*,) *opibus aut cumulandis honoribus inhaerere. Quibus*, caetera. Equidem non dubitanter ſcribo: *quam aut aceruandis opibus aut cumulandis honoribus inhaerere: quibus* κ τ. λ. Ex *aceruandis* facili errore factum eſt *ſtruendis*. Caeterum & Cicero plus ſemel dixit *coaceruare pecunias*. Eodem *Capite n. 6.* pro *ſine vllo laboris effectu* reſcribere

bere auſim *ſine vllo laboris fructu.* Ibidem *n.* 15. pro *aduerſus impios rectiſſimus iudex* legendum mihi ſic videtur: *aduerſus impios ſtrictiſſimus iudex.* Statius eodem modo *Sylu. III.* 5. 87. dixit *strictas leges.* Porro *n.* 20. ſic emendo: *cui nos aſſerendae atque illuſtrandae ſeptem volumina deſtinauimus.* Male editum eſt: *cuius aſſerendae.*

XVI.

Eiusdem libri tertio capite *n.* 21. ſic corrigo: *ita eos* (de diis loquitur ethnicorum,) *praeeſſe ſingulis rebus ac partibus dicunt, vt tamen vnus ſit rector eximius.* Vulgatum eſt *tantum* pro *tamen.* Subſequenti *n.* 22. ita reſcribas velim: *Iam ergo caeteri dii non erunt, ſed ſatellites ac miniſtri, quos ille vnus maximus & parens omnium his officiis praefecit, vt ipſi eius imperio ac nutibus ſeruiant. Parens* ſcribo pro edito *potens.* Cui ignotum Virgilii illud: *Deûm pater atque hominum rex.* Ipſe Lactantius in *Epitome Inſtitutionum cap.* 10. ineunti: *Horum omnium* (deorum) *rex & pater Iupiter.* Sed & alio loco idem mendum irrepſit, *lib. III. cap.* 1. *n.* 14. vbi ſic legitur: *vere autem loqui* (potuerunt) *nullo modo, quia veritatem non didicerant ab eo, qui eius potens eſt.* Scribe *parens.* Scilicet Deum vocat *veritatis parentem*, reſpiciens verba Chriſti *Ioannis VIII.*

VIII. 44. Diabolum vocantis *patrem mendacii.*

XVII.

Eodem libro primo *cap. XI. n. 32.* pro *M. Antonii* nomine Thyſius poſuerat *Cn. Pompeii*, ac Thyſiana illa emendatio etiam Cl. Walchio viſa eſt indubia. Sed acerbiori cenſura Thyſianam illam correctionem, vel potius corruptionem, excepit Baelius in *Dictionario* ſuo *Critico*, *v. Antoine. p. 266. not. B*, ac manifeſtiſſimum fecit, veterem ſcripturam eſſe retinendam. Nolo eius probationes exſcribere, contentus, digitum illuc intendiſſe. Idem Baelius *v. Flora*, not. I, *p. 1252.* haud immerito notat Voſſium, qui *Faulam*, cuius Lactantius *lib. I. cap. 20. n. 5.* meminit, in *Flauram* voluerat mutatam: atque adeo vulgatam ſcripturam, quam & a Cl. Walchio ſollicitari video, tuetur.

XVIII.

Dum vero duas Baelii notas criticas meis immiſcui, facile exoratum iri lectores meos ſpero, vt & Rittershuſii tres emendationes, quae & nouiſſimi editoris ſcientiam fugerunt, hic adſcribere liceat. Exſtant eae in eruditiſſimi illius ICti *libro commentario in Saluianum.* Et primo quidem *p. 192.* editionis anni 1623. ex Lactantii

ctantii *Epitomes cap. 63. n. 6.* haec verba exhibet: *Hiſtrionici etiam impudici geſtus, quibus infames feminas imitantur, libidines, quas ſaltando exprimunt, docent? annon minus corruptela diſciplinarum eſt.* Haec verba ſic ait ſe reperiſſe in omnibus libris editis, quotquot viderit. Addit vero, ſe habere antiquam Lactantii editionem Venetam, anno 1442. (non dubito, hic ſubeſſe mendum,) impreſſam apud Vendelinum: in ea ſic legi: *Non minus corruptelarum diſciplinarum eſt.* Ipſe Rittershuſius ſic diſtinguendum ac legendum cenſet: *docent. Annon Mimus corruptelarum diſciplina eſt?* Suamque iſtam emendationem confirmat loco Lactantii παραλλήλω *lib. VI. cap. 20. n. 29. & 30.* Euolui editionem Walchianam, in qua iſta verba ſic exhibentur: *Hiſtrionum.* (Recte ſane. Nam eam lectionem tuetur locus parallelus modo memoratus.) *etiam - - docent. Nec minus corruptelarum diſciplina eſt, in qua,* caetera. Etiam Thomaſianam inſpexi editionem, in qua haec lectio: *Hiſtrionici etiam - - docent. Nam mimus corruptelarum diſciplina eſt, in quo,* caetera. In nota ad h. l. Thomaſius dicit, ſic fuiſſe in libris impreſſis: *annon minus corruptela diſciplinarum eſt;* legendum autem eſſe: *nam mimus corruptelarum diſciplina eſt.* Non autem oſtendit, vtrum ſuopte

inge-

ingenio, an veteri cuipiam codici meliorem ſcripturam debeat. Videor tamen non incertis cognoſcere indiciis, Thomaſium non codici vlli, ſed ſuae ἀγχινόιᾳ acceptam referre iſtam correctionem. Denique & Florentinam illam vetuſtam editionem anni 1513. conſului, in eaque hanc ſcripturam offendo: *Iſtrionici - - docent, annon mimus corruptela diſciplinarum eſt, in quo.* Acutiſſime igitur vtique *mimus* pro *minus* repoſuit Rittershuſius. Mihi totus locus hunc in modum reſcribendus videtur: *Quid ſcena? num ſanctior? in qua comoedia de ſtupris & amoribus, tragoedia de inceſtis & parricidiis fabulatur: hiſtrionum etiam - - docent. Annon Mimus corruptelarum diſciplina* (id eſt, ſchola) *eſt, in quo fiunt*, caetera.

XIX.

Alter locus Lactantii, quem Rittershuſius *p. 219.* emendat, eſt *lib. de ira Dei cap. 18. n. 5.* & non ſolum in Florentina ac Thomaſiana, verum etiam nouiſſima editione ſic fluit: *Nam, ſicut ait Plato, nemo prudens punit, quia peccatum eſt, ſed ne peccetur: apparet, quam malum vir ſapiens propoſuerit exemplum.* Rittershuſius nos ſcribere ſic iubet: *Nam ſi, vt ait Plato*, caetera. Veriſſima ſane correctio & adeo liquida, vt non tam laudandum putem Rittershuſii acumen, quam reprehendendam edi-

torum ἀβλεφίαν. Nec tertia emendatio infeliciter ſucceſſit Ritterſhuſio, qua locum quendam ex Lactantio *lib. V. cap. 1. n. 2.* ſuae reſtituit integritati. Sic enim eum legi iubet: *Nam ſi ſacrilegis & proditoribus & veneficis poteſtas defendendi ſui datur, nec praedamnari quenquam incognita cauſa licet; non iniuſte petere videmur, vt, quisquis erit ille, qui inciderit in haec, ſi leget, perlegat; ſi audiet, ſententiam differat in extremum.* Male profecto in tribus ſuperioribus editionibus exhibetur ita: *vt, ſi quis erit ille.*

XX.

Sed mitto Ritterſhuſium, ad easque emendationes reuertor, quas mihi inuenire contigit. Ergo *lib. II. cap. I. n. 5.* duabus eiectis vocibus in hunc modum lego: *admirari ſoleo, maieſtatem Dei ſingularis, quae continet regitque omnia, in tantam veniſſe obliuionem, vt, quae ſola coli debeat, ſola potiſſimum negligatur; homines autem ipſos ad tantam caecitatem eſſe deductos, vt vero ac viuo Deo mortuos praeferant, terrenos in terraque ſepultos ei, qui fundator ipſius terrae fuit.* Sola inſpectione huius loci opus eſt, vt intelligatur, iuſtam ac neceſſariam eſſe correctionem meam. Quam male igitur Thomaſiana & Walchiana editiones habent: *mortuos praeferant: terrenos autem*

In terraque ſepultos ei praeponant, qui fundator ipſius terrae fuit. Caeterum praeſidio eſt meae correctioni editio Florentina, in qua abeſt poſterius *praeponant*, etſi *τὸ autem* poſteriore loco aeque, vt caeterae duae editiones, exhibet.

XXI.

Progredior ad *lib. V. cap. 19. n. 31.* vbi haec leguntur in Mich. Thomaſii editione: *Quid enim latro ſacrificans aut gladiator roget, niſi vt occidant? quid venenarius, niſi, vt fallat? quid meretrix, niſi vt plurimum peccet? quid adultera, niſi aut mortem viri, aut vt ſua impudicitia celetur?* Florentina editio pro *occidant* exhibet *occidat*, tolerabiliter, ſed non optime. Eadem habet: *niſi vt mortem viri optet, aut.* Vtraque lectio etiam a Cl. Walchio exhibetur, qui etiam poſtea pro *aut vt ſua* ſcribit *aut ſua*. Equidem non dubito, *τὸ optet* recte & ex optimorum codicum auctoritate omiſſum fuiſſe a Thomaſio. Caeterum totus contextus ſuadet, ſic vt legamus: *niſi vt moriatur vir, aut ſua impudicitia celetur.* Idem Walchius obſeruat, pro *venenarius*, quod quidem certe fierri non poteſt, quosdam malle *foenerarius.* Ego vix dubitandum duco, Lactantium ſcripſiſſe *numularius.*

XXII.

Lib. VI. cap. 13. n. 11. haec leguntur: *Vnum eſt enim ſapientis & iuſti & vitalis viri opus, diuitias ſuas in ſola iuſtitia collocare.* Vbi acute monet Walchius, ſuſpectam eſſe vocem *vitalis.* Thomaſius ſuſpicatur, pro ea ſcribendum eſſe *ſpiritualis.* Mihi videtur, hanc eſſe veram auctoris ſinceramque ſcripturam: *Eſt enim ſapientis & iuſti & vere diuitis, opes & diuitias ſuas in ſola iuſtitia collocare.* Paulo poſt *n. 12.* pro *praebet* legendum eſſe *praebeat*, nemo negauerit, qui acute locum inſpexerit.

XXIII.

Lib. de ira Dei cap. IX. 5. hoc exſtat: E*tenim ſi eſt Deus, vtique prouidens eſt, vt Deus.* Poſteriora duo verba gloſſema ſapiunt. *Lib. de opificio Dei cap. 1. n. 15.* dictionem, *oculis contrectari*, abunde propugnaui in *Parergis Criticis*: nec ſolum Cl. Walchius mihi ſubſcripſit, verum etiam Cl. Bunemannus in *Miſcell. Lipſ. T. III. p. 163. ſq.* cui doctiſſimo viro nouam Lactantii operum editionem pollicito propitiam precor Lucinam. Ego nunc manum de hac tabula: niſi quod coronidis vicem addo, in praefatione *Epitomes* Lactantianae pro *Fit enim totum* mihi reſcribendum videri: *Fiet enim mutilum.*

INDEX
LOCORVM LACTANTII
IN
HAC SYMBOLA CRITICA
EMENDATORVM.

Inſtit. diu. lib. I. 1. 1.	§. V. & XV.
I. 1. 6.	§. XV.
I. 1. 8.	§. V.
I. 1. 15.	§. XV.
I. 1. 17.	§. V.
I. 1. 18.	§. V.
I. 1. 20.	§. XV.
I. 2. 1.	§. V.
I. 2. 5.	§. V.
I. 3. 19.	§. V.
I. 3. 21.	§. XVI.
I. 3. 22.	§. XVI.
I. 4. 8.	§. V.
I. 7. 3.	§. V.
I. 7. 13.	§. V.
I. 7. 14.	§. V.
I. 8. 4.	§. V.
I. 8. 6.	§. V.
I. 9. 2.	§. V
I. 9. 4.	§. V.
I. 9. 6.	§. V.
I. 9. 11.	§. V
I. 10. 12.	§. V.
I. 11. 5.	§. V.
I. 11. 26.	§. V.
I. 11. 28.	§. V.

Inſtit.

Inſtit. diu. lib. I. 11. 29. §. V.
I. 11. 32. §. XVII.
I. 20. 5. §. XVII.
II. 1. 5. §. XX.
III. 1. 14. §. XVI.
V. 1. 2. §. XIX.
V. 19. 31. §. XXI.
VI. 13. 11. §. XXII.
VI. 13. 12. §. XXII.
De ira Dei Cap. I. 4. §. V.
I. 7. §. V.
II. 2. §. V.
III. 2. §. V.
IX. 5. §. XXIII.
XVIII. 5. §. XIX.
De opificio Dei Cap. I. 14. §. V.
I. 15. §. XXIII.
II. 9. §. V.
De mort. perſec. Cap. I. 2. §. II.
I. 6. §. III.
I. 7. §. III.
XIII. 3. §. XIV.
XXIII. 3. §. XIV.
XXVI. 2. §. VI.
XXXVII. 3. & 4. §. VII.
XXXVII. 5. §. VIII.
XXXVII. 6. §. IX.
XXXVIII. 1. §. X. XI. XII.
XLII. 1. §. XIV.
XLIX. 5. §. XIII.
Epitomes Praef. §. XXIII.
Cap. LXIII. 6. §. XVIII.

FINIS.

MAG 2015924

Digitized by Google

SCHEDA di RESTAURO effettuato nell'anno 2005
Laboratorio per il restauro del libro - Dott.ssa Pacella

6. 8. I. 15

Smontaggio totale
PH effettuato prima del trattamento sui timbri del frontespizio con valore 5 e sulla glossa di p.85 con lo stesso valore
Fissaggio dei timbri con Tylose MH 300 al 4%
Lavaggio totale
Deacidificazione con calcio idrossido al 1.5% su 1 lt.
Ricollatura con Tylose MH 300
Rammendo effettuato sul 90% delle pieghe con velo Vangerow 504
Cucitura nuova su 5 nervi in refe
Indorsatura nuova eseguita in carta
Capitelli eseguiti su filo bianco/rosso in cotone 100% su spago
Quadranti nuovi in cartoncino Museum (acid free) da 1.8 mm.
Coperta nuova in pelle di capra bordeaux con cordoli commercializzata dalla ditta Mezzanotte di Roma
Carte di guardia nuove in carta Ingres Japico (acid free)
Adesivo usato per le carte Tylose MH 300 al 4%
Adesivo usato per la legatura Tylose e Vinavil al 5%
Titolo e collocazione eseguito in oro
Custodia in cartoncino klug da 1.6 mm. per la coperta originale



Digitized by Google

Digitized by Google